



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Sectio VI. De Præcepto Ecclesiastico Confessionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

SECTIO SEXTA.

De Præcepto Ecclesiastico Confessionis.

1. In Ecclesia est potestas precipiendi utrum Sacramentorum ex Conc. Trident.

Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. Declarat, hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, que sucipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret.

Hanc potestate Ecclesia utitur, dum cap. Omnis utriusque sexus 12. de Penit. & Remiss. precipit, ut omnes & singuli Christi fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, singulis annis, saltem in Paschate, communicent; cum alioquin præceptum divinum Communionis, per se & ratione sui, semel tantum in vita obliget.

Præterea hanc potestate utitur, dum loco mox citato ex Conc. Trident. approbat consuetudinem sub altera specie communicandi; & pro lege habendam decernit, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset.

2. Hanc potestate utitur Ecclesia dum cap. Omnis utriusque sexus precipit annuam Confessionem.

Denique, ut ad rem nostram veniamus, hanc potestate utitur Ecclesia, dum cap. Omnis utriusque sexus 12. de Penit. & Remiss. statuit, ut omnes & singuli Christi fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint; omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteantur; cum alioquin præceptum divinum Confessionis, per se & ratione sui, tantum semel in vita obliget. Igitur de præcepto Ecclesiastico Confessionis non est relictus dubitandi locus. Nihilominus, ut veritas per se patens, magis magisque eluceat, Dico primò;

CONCLUSIO I.

Ecclesia statuit, ut præceptum divinum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis fidelibus, postquam ad annos discretionis pervenerint, impleretur.

3. Probatio Concl. ex

Robatur ex cap. 12. de Penit. & Remiss. quod desumptum est ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. & sic incipit:

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua delicta peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & mundiciam sibi penitentiam propter tribus studeat adimplere. Porro verba illa continent præceptum, & non tantum consilium.

Offenditur I. ex gravi pœna, que tribuitur infligitur transgressoribus hinc verbis: Aliquis & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur; & minus Christiana careat sepultura. Et continuò attenditur: Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignoranti castitate tamen excusationis assumat.

Quia tamen aliquis respondere posset, illam pœnam non ita infligi his, qui non confiterentur, quam iis, qui non communicant in Paschate, cum præceptum communionis Paschalis intermediè præcedat impositionem pœnæ, ut patet ex textu ibi: Suscipiens reverenter ad mensam Pascha Eucharistia sacramentum; nisi forte de proprio sacerdotis consilio; ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin &c. Quia, inquam, si aliquis respondere posset; ideo

Offenditur II. mens præceptiva Ecclesie, ex Concilio Trid. sess. 14. can. 8. Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à pris abolendam, aut ad eam non tenent omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles; iuxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesime; anathema sit. Quid amplius & clarius potuit dici?

Nihilominus Durandus 4. dist. 17. q. 8. & 14. subdubitatur, an sit verum præceptum, in quo dicitur, ut quisque annuam Confessionem faciat, quod Arriaga disp. 52. n. 1. Subscribit verbum Durandi: Quod (Confessio) non sit de iure præceptum purè humano patet; quia nulla lex potest præcipere actum, cujus transgressorem non potest iuste punire.... sed nulla lex humana potest iuste punire illum, qui non confiteretur peccatum sibi soli notum &c. Quod autem aliquis dicat peccatum suum occultum coram sacerdote, qui illud habet celare, nulla lex purè humana potest præcipere, nec transgressorem iuste punire. Propter quod relinquatur, quod Confessio sacramentalis, de qua loquimur, sit solùm de iure divino.

Et infra: Ad quartum dicendum, quod Ecclesia non instituit Confessionem, sed institutam à Deo præcipit singulis annis fieri, maxime

maximè volentibus communicare. Hæc ille q. 8. Quæ non sunt subdubitantis de præcepto Ecclesie, verùm affirmantis, Confessionem sacramentalem non esse institutam ab Ecclesia, sed à solo Deo; quamvis jam instituta à Deo, ab Ecclesia præcipiatur singulis annis, maximè communicare volentibus.

Similiter loquitur q. 14, circa initium: Quantum, inquit, ad illud primum, referendum est illud, quod dictum fuit suprâ, videlicet, quòd Confessio sacramentalis non fuit instituta, nec potuit institui jure purè humano; sed instituta fuit per Christum, qui fundavit Ecclesiam &c. Ecclesiam autem sic institutam commisit regendam Petro, & Apostolis sub ipso, & eorum successoribus. Unde ad eos pertinet, & principaliter fidem docere, & Sacramenta ministrare, prout expedit viderint saluti hominum, propter quam omnia prædicta sunt ordinata & instituta per Christum: & ideo si Rectoribus Ecclesie videatur expediens pro conservatione, & multiplicatione fidei, & pro salute populi, quòd Sacramenta per Christum instituta, maximè quæ sunt omnibus communia, recipiantur à populo, vel tali tempore; ipsi non auctoritate purè humanâ, sed auctoritate Christi, cujus sunt Vicarii, ipsis commissâ, possunt de hoc statutum facere, quod ligabit fideles, & sic à principio Ecclesie factum est.

In fine autem quæstionis sic lego: Argumentum in oppositum bene procedit, quia Ecclesia non præcipit Confessionem condendo legem de confitendo; sed Christus illam legem condidit, Ecclesia, cui commissâ est executio, mandat prædictam legem certo tempore impleri. Hucusque Durandus cum communitentia, De quo ergo subdubitat? Attende & intende.

Circa medium quæstionis scribit in hæc verba: Quamvis Confessio sit quodammodo signum protestativum fidei; proficiat etiam ad salutem; tamen non potest constare Ecclesie de obedientia, vel inobedientia hominis respectu illius statuti; quia per statutum non obligantur; nisi illi, qui peccaverunt mortaliter; de quo non potest constare Ecclesie, quantum ad peccata interioris consensus; nec quantum ad peccata occulta exterioris operis; propter quòd; quantum ad ista non potest constare Ecclesie, an talis teneatur ad confitendum secundum prædictum statutum.

Rursus si aliquis sit peccator manifestus; & confiteatur, non potest constare Ecclesie, si confessus sit omnia peccata sua, prout statutum dicit; quia cùm Confessio fiat soli Sacerdoti, qui non debet quocumque modo prodere peccatum confitentis, & si prodere, nihil valeret, quia ad unius testimonium nemo debet condemnari; ideo non potest constare Ecclesie (ut videtur) si aliquis est transgres-

for prædicti statuti: qualiter ergo potest hoc per Ecclesiam statui, cujus transgressor non potest convinci, nec per consequens justè puniri? Satis est dubium.

Potest ergo de hoc fieri sancta & salubris exhortatio, quæ potest prodesse, & non obesse: quia ad Sacramentum Eucharistie; de cujus susceptione subjungitur præceptum, nullus, qui mortaliter peccavit, debet accedere, etiam contritus, nisi prius confiteatur, habitâ copiâ Sacerdotis: & fortè sic factum est, & provisum in illo statuto: Omnis unusquisque vestrus, in quo præmittitur exhortatio sancta & salubris de Confessione faciendâ, & subjungitur præceptum de perceptione Eucharistie, vallatum pœnâ.

Et si non sit sola exhortatio, sed præceptum; illud quidem potest ligare conscientiam, quatenus sit ab Ecclesia auctoritate Christi; sed pœnâ temporali illius statuti transgressor puniri non potest; cùm non possit constare de transgressione, ut probatum est. Unde talis dum vivit, potest abstinere ab ingressu Ecclesie, si vult; sed per alterum non potest justè arceri, & moriens non potest justè privari Ecclesiasticâ sepulturâ. Et propter hoc potest rationabiliter videri alicui, quòd prædicta pœna illius statuti respicit solum præceptum de Communione, de cujus transgressione constare potest, & non præceptum de Confessione, nisi in casu, in quo aliquis spontè fateretur, se non fuisse confessum omnia peccata sua; tunc enim potest prædictâ pœnâ puniri, & aliter non. Hucusque Durand.

Deinde circa finem ait: Ad primum dicendum, quòd statutum de confitendo semel in anno, sive sit solum exhortatorium, sive sit præceptorium, non debet à fidelibus, salutem suam querentibus, reputari pœnale &c. Ecce hic subdubitat Auctor iste, an statutum Concilii Later. de confitendis singulis annis, sit præceptorium, an verò solum exhortatorium; sed satis levi fundamento, præsertim post Tridentinum suprâ citatum can. 8.

In quo utique Canone; quod bene notandum est, nulla fit mentio Communionis Paschalis, ut significet Conclium, Confessionem per se præcipi (prout sonant verba Concilii Later.) & non tantum, ut est medium necessarium ad dignè communicandum: proinde necessarium esse etiam illis, qui aliunde excusantur à præcepto Communionis; & per consequens peccare duplici peccato, qui omittit Confessionem, & Communionem; cùm alioquin, si Confessio solum esset præcepta propter Communionem, unicum dumtaxat committeret. Cæteròquin quomodo essent quinque Ecclesie præcepta, ut communiter loquuntur fideles?

An autem qui solum Confessionem omitteret, incurreret pœnam, constitutam in

7. & ideo subdubitat Durandus, an statutum illud Ecclesie sit exhortatorium tantum, an verò præceptorium.

8. Confessio, nem per se præcipi, & non solum, ut est necessaria ad dignè communicandum, probatur ex Conc. Trident.

9. An incurrer.

ret penam, qui omittit terer solam Confessione nem,

Concilio Later. cap. Omnis utriusque sexus, ut verum fatear, satis dubium est, cum in Concilio Trident. nihil de illo dicitur; & aliunde sic explicari possent illa verba: Alioquin, id est, si neque confessus fuerit, neque communicaverit, & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christianam carcat sepulturam. Maxime cum vix possit Ecclesia scire transgressionem præcepti Confessionis, ut patet ex dictis supra à Durando; tunc solum, quando esset peccator publicus, & publicè constaret, ipsum non fuisse, nequidem secundum externam speciem, confessum; per consequens rarissimè possit punire transgressorem illà penà, quæ solum est ferendæ sententiæ, adeoque requirit probationem criminis in foro externo.

Durandus,

Hinc Durandus supra: De Confessione, inquit, faciendâ pro tempore, quo regulariter fideles debent communicare, sanctum & salubre est, exhortationem fieri, ut dictum fuit; potest nihilominus Ecclesia auctoritate Christi hoc facere præceptum, vallatum sententiâ excommunicationis, quam incurrit transgressores ipso facto. Sed utrumque prædictorum ligat solum conscientiam transgressoris quoad culpam, & quoad talem penam; & sic potest puniri talis transgressio per talem penam. Penam autem illius statuti: Omnis utriusque sexus, aut non est adjecta pro transgressione statuti de Confessione, aut est adjecta infructuosè & inutiliter, propter rationem præiùs dictam. Hæc ille.

10. Offenditur, nimis leviter dubitatur Durandum,

Ex quibus patet, quàm levi fundamento dubitaverit, an statutum Concilii Later. de confitendo singulis annis, sit præceptorium, an verò solum exhortatorium ( nisi per præceptorium intelligat penale ) multa siquidem præcipiuntur ab Ecclesia sine adjectione aliquis penæ; ut audire Missam diebus Dominicis & Festivis, certis diebus jejunare &c. ergo similiter potuit Concilium Later. præcipere annum Confessionem, estò penam non fuerit adjecta pro transgressione illius præcepti.

Deinde licet raro possit Ecclesia judicare de transgressione, saltem aliquando potest, scilicet ex propria Confessione peccatoris, insuper si est peccator publicus, & publicè constat, non esse confessum, nequidem in specie externa; ergo illa penam non foret adjecta omnino inutiliter & infructuosè. An putas, quia Ecclesia semper potest judicare de transgressione præcepti Communionis? Pervium est quod non; potest enim quis recipere Eucharistiam ore, & non deglutire.

Ecclesia sæpè præcipit ea, de quibus non potest facile cognoscere in foro externo, patet ex præcepto Horarum Canonicarum, auditionis Missæ, & similibus actuum, qui requirunt certam aliquam intentionem internam, quæ exterius non satis se-

ipsum manifestat; item quando tales actus præcipiuntur, qui non requirunt publicum exercitium; nam ferè semper possum dicere, me in occulto legem implevisse, quamvis reverà non impleverim.

Et sic fecisse, quamvis non constaret ex nudis verbis Conc. Lateranensis, tamen accedente interpretatione Concilii Trid. nemini potest, aut debet esse dubium; quidquid sit de penâ, quæ videtur potius afficere non communicantes ( utpote de quibus Ecclesia melius potest judicare in foro externo ) quam non confitentes. Cæterò utroque obligare, videtur significare obvius magis sententia illorum verborum: Alioquin, id est, si non fuerit confessus & communicaverit, & non arceatur ab Ecclesia &c. Atque ita docet Suerius disp. 36. sect. 8. n. 3. cum Aliis, quos citat.

Cæterum quid Durandus intelligat per auctoritatem Christi, dum concedit, Ecclesiam posse præcipere Confessionem auctoritate Christi, hæud latè capio. Nam Ecclesia totam suam auctoritatem habet à Christo, & tali consideratione omnia, quæ præcipit circa susceptionem, aut administrationem Sacramentorum, præcipit auctoritate Christi; cum tamen Durandus distinguat in hoc puncto inter præceptum annuæ Communionis, & annuæ Confessionis.

Fortè nihil aliud voluit, quàm Ecclesiam solum tempus determinasse, quo Confessio in vita faciendâ, deberet fieri, id est, præcepisse tempus Confessionis faciendæ, non autem ipsam Confessionem; cum tamen non solum tempus Communionis, sed etiam ipsam Communionem præcepit; nam præcepit singulis annis communicare, cum tamen præceptum divinum Communionis per se, & ratione sui semel tantum obliget in vita; at verò solum præcipit semel in vita confiteri singula peccata mortalia, quod de jure divino præceptum est, determinans certum tempus, in quo debeat præceptum divinum adimpleri, ut docet Tridentinum sess. 14. c. 5. circa finem ibi: Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium est in-

institutum esse intellexerat; sed ut præceptum (divinum) Confessionis ab omnibus & singulis, cum ad annos discretions pervenissent, impleatur.

Consonat Doctor Subtilis 4. dist. 17. n. 24. De tertio articulo dico, quod Ecclesia præceptum istud (divinum Confessionis) quantum ad aliqua prædictorum non specificavit, & quantum ad aliqua specificavit. Præcepta autem specificatio huius præcepti invenitur in illo capitulo extra de Penit. & Remiss. Omnis utriusque sexus. Et infra n. 28. Quoad, Quando, Ecclesia determinavit præceptum (divinum Confessionis) scilicet semel in anno. Non ait Scotus: Ecclesia præcepit Confessionem, sed, determinavit præceptum, scilicet divinum.

Et ideo Durandus supra q. 8. Quòd, inquit, aliquis dicat peccatum suum occultum coram Sacerdote, qui illud habet celare, nulla lex purè humana potest præcipere. Non negat Confessionem esse præceptam singulis annis; sed negat esse præceptam per legem purè humanam, quia videlicet, & erit

CONCLUSIO II.

Secluso præcepto Divino Confessionis, Ecclesia numquam attentasset imponere Confessionem, ad quam de facto fideles obligantur singulis annis. Fortè nec imponere potuisset.

Communitè & verissimè dicitur: Si Christus non instituisset Sacramentum Penitentiae, Ecclesia non potuisset præcipere Confessionem, qualis de facto præcipitur, id est, omnium peccatorum mortalium, etiamsi occultissima illa sint; non ideo tantùm, quia Ecclesia caret potestate in actus internos; hoc enim fortè falsum est, sed quia Ecclesia non potest præcipere rem nimis difficilem, qualis esset Confessio omnium peccatorum mortalium, absque effectu remissionis peccatorum, & sanctificationis, ac renovationis interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum. Unde tunc illud præceptum cederet in destructionem, & non in ædificationem; cum tamen Ecclesiae tantùm sit data potestas legislativa in ædificationem; nam finis legis est bonum commune, cui opponitur communis transgressio legis, quæ nata est sequi, quando actus est nimis difficilis, id est, superans communiter fragilitatem humanam.

Profectò etiam nunc, non obstante vi & efficacia huius Sacramenti, quæ est Reconciliatio cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum

devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientia pax ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet (inquit Trid. sess. 14. c. 3.) experientia comprobatur, quàm multi (proh dolor) inveniantur, qui ex verecundia non adimpleant præceptum divinum Confessionis; quòd plures essent, qui verecundarentur dicere sua peccata occulta, si non foret institutum Sacramentum? Putas quia hodie fideles obedirent Ecclesiae, si præciperet, ut omnes manifestarent sua peccata, etiam occultissima, alicui sæculari, non quidem ad vindictam sed solum ad emendationem? Non est credibile, quòd vel unus ex 100. illud præceptum observaret.

Ex quo confessum cognoscitur ratio Conclusionis; nam licet institutio Sacramenti per consequens effectus gratiae & remissionis peccatorum plurimum allevient onus Confessionis; equidem plurimis tam grave adhuc permanet, ut nisi scirent, Deum præcepisse Confessionem, neque se aliter posse recipere remissionem peccatorum, nullatenus vellent explicare Sacerdotibus, estò strictissimo sigillo obligatis, omnia sua peccata, etiam occultissima.

Quod probè intelligens Scotus 4. dist. 17. n. 9. inquit: Si tertium membrum teneatur, scilicet quòd Confessio non cadit nisi sub præcepto Ecclesiae, non potest faciliter improbari, nisi quia vel Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset præceptum divinum; vel quia non invenitur, ubi ab Ecclesia imponatur istud præceptum; quin ante hoc Sancti reputarent, hoc præceptum de Confessione obligare. Ubi sub disjunctione insinuat nimiam difficultatem præcepti Ecclesiastici, secluso præcepto divino, ut propterea Ecclesia non attentasset, quòd jam attentavit; quidquid sit de absoluta potentia præcipiendi, quam ibi neque negat, neque affirmat.

Queris à me, quid ego sentiam? Resp. cum Lugone disp. 15. n. 91. Ecclesiam non potuisse præcipere Confessionem, qualis de facto præcipitur, videlicet omnium omnino mortalium, propter difficultatem, quam secum affert; sicuti non potuit præcipere statum Religiosum, quem Christus voluit esse liberum, propter suam difficultatem, non obstante maximà utilitate illius status. Lugonem sequitur Arriaga disp. 52. n. 3. amplius dicens, Ecclesiam non habere potestatem præcipiendi Confessionem, vel unius tantùm peccati mortalis.

Opposita sententia est Suarii disp. 35. sect. 1. n. 18. Vasquez q. 90. a. 1. dub. 4. n. 44. Ratio Suarii est; quia receptio huius Sacramenti non est materia excedens facultatem Ecclesiae; & alioquin ejus usus est valde conveniens Ecclesiae; ergo non est cur Ecclesia non possit ponere tale præceptum.

Proba-

15. Probatio Conclusio nis,

quam in 2. sinuat Scotus,

16. Sentit Auct. cum Lugone, Ecclesiam non potuisse præcipere Confessionem, qualis hodie præcipitur.

Arriaga

17. Oppositum docent Suarez & Vasquez.

Ratio Suarez.

Probat Antecedens; quia si excederet, vel id esset, quia Confessio versatur circa actus internos, & hoc non; nam Confessio, quae praecipitur, est actus externus; & quamvis requirat aliquem actum interiorem, nempe Contritionem vel Attritionem, non excedit Ecclesiae potestatem, praecipere simul cum exteriore actu interiore, ad illum necessarium.

Et eadem est ratio de peccatis merè internis, quae sunt materia circa quam Confessio nis; quia illa non ratione sui, sed ratione alterius exterioris actus pertinent aliquo modo ad tale praecipitur. Sicut posset Ecclesia praecipere, publicè oratione petere à Deo internam iustitiam seu penitentiam fidelium. Itaque ex hoc capite non videtur praecipitur hoc excedere potestatem Ecclesiasticam.

Non etiam, quia homo se diffamat, quia talis infamia ferè nulla est, vel propter sigillum, vel quia, si prudens sit Confessor, per ipsammet Confessionem legitimam quodammodo tollitur. Ac denique, quia licet hoc existimetur aliquale detrimentum, comparatione fructus quasi nihil est.

Nec denique propter difficultatem; quia saepe Ecclesia praecipit res magis difficiles, si necessariae sint, vel valde utiles; in hoc autem praecipitur semper esset magna utilitas, quia posset difficultas ipsa compensari.

Tandem si haec rationes, vel similes, validae essent, ferè haberent locum in praecipitur annuae Confessionis, ratione cuius saepius obligatur homo ad Confessionem, quam solo iure divino obligatur. Haec ille.

18. Exordior ab ultimo, & noto ly *Fere*, quod sufficit ad hoc, ut non valeat argumentum à praecipitur Confessionis annuae ad praecipitur Confessionis simpliciter. quod enim obligationi praecipitur divini jam contractae, satisfiat paulò antea, vel saepius, quam ex ipso praecipitur divino praecipitur peccator teneatur, non adeò grave onus est; cum solum versetur circa circumstantiam temporis, & non circa substantiam illius oneris. Adde, quòd id fiat, ne forsitan praecipitur divinum defraudetur per subitanam & improvisam mortem.

Itaque quòd aliquando debeamus peccata nostra revelare, hoc opus, hic labor est; quòd autem hoc vel illo tempore, minoris reputatur momenti. Nonne Ecclesia me obligat, ut pluries idem peccatum confitear? Minime; sed, ut quòd semel debebam facere vi praecipitur divini, & eram facturus in fine vitae, omnia peccata totius vitae dicendo uni Confessorio, ea dicam diversis vicibus, hoc anno peccata huius anni, & sequenti sequentis; hoc autem, inquit Arriaga supra n. 4. non habet majorem difficultatem, quam illud primum; quia numquam manifesto peccatum ullum, nisi semel.

Sed ego vix dubito, quin peccatores ma-

jorem inveniant difficultatem in Confessione annua, quam in una Confessione facienda in fine vitae; tum propter iteratum examen conscientiae, & iteratos actus Contritionis vel Attritionis; tum propter frequentiores vercundiam, & praecocem infamiam (si verè infamia est, quae oritur ex Confessione) nam si expectarent usque ad finem vitae, toto tempore vitae ab omnibus haberentur prohi & iusti, cum jam singulis annis à Confessorio existimentur peccatores. Interim illa major difficultas non est tanta, ut, attento periculo nunquam adimplendi praecipitur divinum, & confiderato fructu Sacramenti, extrahatur annuam Confessionem è potestate Ecclesiae.

Quòd addit Suarez, Ecclesiam saepe praecipitur res difficiles; si affirmare, probare est; negare, reprobare est. Assignetur illa res difficilius, quam Ecclesia praecipitur. An forte continentia perpetua, quam praecipitur initiandis Ordinibus sacris? At illa non praecipitur, nisi voluntariè initiandis.

Planè, inquis; sed neque Confessio praecipitur, nisi voluntariè mortaliter peccantibus. Respondeo; disparitatem esse nimiam frequentiam peccantium mortaliter: *Saepe enim & cogitatio humani cordis in malis, proreum ab adolescentia sua Gen. 8. v. 21. & ideo praecipitur Confessionis voluntariè peccantibus potius in laqueum & scandalum cedere, quam in edificationem; secus praecipitur conscientiae, qui non nisi pauci, comparatione hominum saecularium, & non nisi maturè deliberatione; initiantur Ordinibus sacris. Et idem est de illis, qui profitentur aliquam Religionem, quae statuit, saepius eadem peccata confiteri.*

Graphicè exprimit difficultatem Confessionis Coninck disp. 5. de hoc Sacramento dub. 4. n. 42. Haec, inquit, Confessio (puta omnium omnino peccatorum mortalium) in pluribus casibus multis est valde difficilis, ita ut plurimi eam horreant tamquam mortem, & mallent ferè mori, quam quaedam peccata confiteri, atque vix ullà arte, ac timore inferni proposito, possunt ad Confessionem induci, & inter confitendum sentiunt tales angustias, quales experiuntur capitis supplicio damnati; atqui, nisi sit maxima quaedam, ac ferè extrema necessitas, potestas humana non potest rem adeò difficilem praecipitur; ergo cum eo casu (quo videlicet Sacramentum Confessionis esset liberum à praecipitur divino) non esset hic talis necessitas, non posset Ecclesia eam Confessionem praecipitur. Haec quoque Coninck.

Interim fatemur multiplicem utilitatem Confessionis; in qua in primis plurimum extorquet misericordia Dei, qui Confessionem non extorquet more iudicum saeculi, ut confitentur damnet; sed potius instat medicus, ut vulnera

patrefacta statim fanet. Deinde per eam Pa-  
stores optimè agnoscunt vultum, & morbos  
ovium, optimèque eis medentur. Immo re-  
dunt hæc utilitas in bonum etiam politica  
Reipublicæ. Multa siquidem, quæ per judicem  
in externo foro nunquam emendari potuis-  
sent; putâ, quia nunquam potuissent sufficien-  
ter probari, vel ob aliam causam; nullo nego-  
tio per Sacerdotes in foro conscientia emen-  
dantur, dum restituuntur ablata, dimittantur  
injuriæ, conciliantur paces, dissociantur malè  
facta fœdera, aliæque id genus plurima privatim  
perficiuntur, ex quibus scandala publica re-  
mouentur, & pax ac tranquillitas Reipublicæ  
redditur. Demùm utilitas maxima, scilicet  
reconciliatio cum Deo.

Fatemur in super, propter illas utilitates jure  
meritissimo Confessionem à Deo esse præcep-  
tam; atamen ab alia parte tantam secum ad-  
fert difficultatem Confessio omnium peccato-  
rum, ut nisi à Deo fuisset præcepta, adeoque  
necessaria ad remissionem peccatorum, credi-  
bile sit, quòd major pars fidelium resisteret  
præcepto Ecclesiæ; quapropter Deus, qui at-  
tingit à sine usque ad finem fortiter, & disponit om-  
nia suaviter, Sap. c. 8. v. 1. institutioni Sacra-  
menti Pœnitentiæ superaddidit præceptum,  
saltem semel in vita illud recipiendi, ut sic for-  
titer & suaviter ad illud suscipiendum fideles  
inducerentur, alioquin propter infamiam,  
quam apprehendunt, planè involuntarii.

Nam quod suprâ dicebat Suarius, talem in-  
famiam ferè nullam esse, vel propter sigillum,  
vel quia, si prudens sit Confessor, per ipsam  
met Confessionem legitimam quodammodo  
tollitur, licet à parte rei ita sit, tamen certum  
est, in apprehensione hominum rem aliter se  
habere, ut docet quotidiana experientia.

Deinde, secundum communem sententiam,  
non obligat præceptum divinum Confessionis  
(inquit Arriaga suprâ n. 4.) si ego sciam, Con-  
fessariû vel uni tantum alii revelaturum ea pec-  
cata; hinc meo judicio argumentor efficacissimè:  
Si ex hoc capite, quòd unus alius (quàm Christus  
jussit) sciturus sit mea peccata, liberor ego ab  
ipso præcepto divino Christi, profectò multò  
minus Ecclesia poterit me obligare suo solo  
præcepto, ut vel uni soli (ad quod me Christus  
nò obligavit) ego cõfitear mea peccata. Hęc ille.

Respondeo; disparitas est manifesta; quia  
scientia unius præter Confessarium, planè in-  
utilis est ad finem Sacramenti; scientia autem  
ipsius Confessarii prorsus necessaria, & idèd  
quamvis Ecclesia, supposito præcepto divino,  
possit me obligare ad Confessionem annuam;  
equidem excuset ab impletione præcepti,  
quando scirem, Confessarium vel uni tantum  
alii revelaturum peccatum; non præcisè propter  
infamiam, quæ non videtur aliquibus tam  
gravis, quando ille unus est vir prudens, qui  
ejusmodi notitiâ in nullius præjudicium ute-

tur; sed, sicut dixi, quia illa notitia alterius  
à Confessario, planè impertinens est, ut sup-  
pono, ad Confessionem.

Sin autem foret necessaria, v. g. notitia in-  
terpretis, putat Lugo, illam non excusare à  
præcepto divino in articulo mortis, estò ex-  
culet à præcepto Ecclesiastico. Sed de hoc in-  
frâ, ubi de Confessione per interpretem. Igitur  
meo judicio illud argumentum Arriagæ non  
est efficacissimum.

Ut nec illud, quod ibidem subjungit n. 5.  
Est ferè omnium sententia; Ecclesiam non  
posse obligare ad confitendum bis omnia pec-  
cata; quia jam cessat obligatio præcepti divini,  
& tamen tunc in ea secunda Confessione sunt  
omnes illæ utilitates, & ratio Sacramenti, quæ  
essent eo tempore in prima Confessione; ergo si  
nunc ad secundam obligare non potest; nec  
tunc posset ad primam; & ita si nunc me obli-  
garet, ut eidem Confessario, cui jam sum con-  
fessus, confiterer secundò, non esset ulla occasio  
infamiae, cum ille jam sciat ea peccata; ergo &c.

Respondeo; tunc in ea secunda Confessione  
non sunt omnes illæ utilitates, quæ essent eo  
tempore in prima Confessione. Patet, quia eo  
tempore prima Confessio foret necessaria ad  
remissionem peccatorum ex opere operato;  
foret necessaria Pastoribus ad intimè cogno-  
scendum vultus & morbos ovium, eisquæ re-  
medium adhibendum &c. Numquid etiam se-  
cunda Confessio? Constat per primam Con-  
fessionem peccata fuisse remissa ex opere opera-  
to. Liqueat Pastorem ex prima Confessione po-  
tuisse agnoscere vultus & morbos ovium, eisquæ  
remedium adhibere &c. Ergo major potestas  
Ecclesiæ præcipiendi primam Confessionem,  
non præceptam jure divino, quàm secundam.

Itaque, meo judicio, efficacissimum argu-  
mentum pro sententia, negante potestatem Ec-  
clesiæ, præcipiendi Confessionem (secluso præ-  
cepto divino) est, difficultas explicandi homi-  
nibus occulta sua peccata, ubi alioquin, ad eor-  
um remissionem coram Deo, sufficeret sola  
Contritio charitate perfecta.

Dices cum Hiquæo 4. dist. 17. n. 82. Ec-  
clesia, suppositâ institutione Sacramenti, quam-  
vis nulla esset necessitas ejus suscipiendi ex præ-  
cepto divino, haberet potestatem ordinariam  
remittendi peccata; ergo quando videret hoc  
esse in utilitatem fidelium, ut propria dispo-  
sitioni non permitterentur, aut reverentiæ Sa-  
cramenti, ac honori Dei magis expedire judi-  
caret, posset Confessionem præcipere.

Deinde, cujus est præcipere tempus est pote-  
state ordinaria non subordinata, ejusdè est præ-  
cipere substantiam actûs; cum tempus accesso-  
riè ad actum præcipiatur, tamquam ejus circum-  
stantia. Unde non video, inquit ille, cur Ec-  
clesia non haberet hanc potestatem indirectè sal-  
tem; sicut habet potestatem indirectam præci-  
piendi temporalia, quando ad finem spirituales  
necessaria sunt. B b b Respon-

Lugo.

24.

Allud argu-  
mentum  
Arriagæ.

Responso  
Auditoris.

Efficacissimum argu-  
mentum ju-  
dicio Au-  
ditoris.

25.  
Objectio ex  
Hiquæo.

26.  
Responsio  
ad ultimum.

Respondeo ad ultimum; cujus est præcipere tempus ex potestate ordinaria non subordinata, eisdem est præcipere substantiam actûs, quando hæc substantia, suâ difficultate non superat communiter humanam fragilitatem, concedo totum; quando superat, nego Assumptum, si agitur de potestate legislativa humana. Ex quo festinè cognoscitur, quare Ecclesia possit præcipere circumstantiam temporis, & non substantiam actûs; utputà, quia circumstantia temporis non superat communiter humanam fragilitatem, secùs substantia actûs. An putas, quia Ecclesia possit præcipere, vel saltem indirecè, quælibet temporalia, quando aliquo modo sunt necessaria ad finem supernaturalem? Noli putare, si non vis errare; nam communis regula, de qua in tractatu de Legibus, docet, materiam legis humanæ esse, non quemcumque actum bonum, sed talem, qui suâ difficultate communiter non superat humanam fragilitatem.

27.  
Respondeo  
ad r. ob  
jectionem.

Vides nunc responsionem ad primum argumentum? Fateor, Ecclesia potest statuere, vel mutare in Sacramentorum dispensatione, quæ suscipiuntur utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaverit; & ideò posset præcipere susceptionem Sacramenti Confirmationis, & Extremæ Unctionis, tametsi à Deo non sit præcepta, quia cum illa Sacramenta nullam habeant difficultatem, & summam utilitatem, posset Ecclesia judicare, hic & nunc expedire, ut præcipiantur; at verò Sacramentum Penitentia, estò habeat maximam utilitatem, cum tamen etiam habeat suam difficultatem, & quidem gravissimam in apprehensione multorum fidelium, ejus præceptum humanum, ubi alioquin jure divino foret liberum, neque expedit utilitati fidelium, neque ipsius Sacramenti venerationi, cum periculum sit communis non observantia.

28.  
Præceptum  
Confessionis  
annuæ tantum est  
determinatio  
præcepti  
divini.

Maneat ergo probabile, secluso præcepto divino, Ecclesiam non potuisse præcipere Confessionem, qualis hodie præcipitur annuæ, adeoque præceptum Confessionis annuæ tantum esse determinationem præcepti divini, semel confitendi in vita; & per consequens à Pontifice posse abrogari, vel immutari validè, quamvis illicitè, nisi existente justâ causâ; an autem aliquando justâ causa futura sit, novit Dominus, cujus oculi, multò plùs lucidiores super solem, infallibili perspicacitate ab æterno intuentur omnia futura contingentia.

Nos scimus, olim ter in anno obligasse præceptum Confessionis, non quidem per se, sed per accidens, ratione Communionis, juxta illud Fabiani Papæ, & refertur de Consec. dist. 2. c. 16. *Esi non frequentius, saltem in anno ter laici homines communicent (nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha, videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.* Post-

modum autem frigescente mundo, Ecclesia judicavit magis expedire, ut, etsi non frequentius, saltem semel in anno, omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretioris pervenisset, omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteretur, & susciperet reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum.

Dubitas quid illa verba significant: *Omni utriusque sexûs fidelis?* Jam edissero.

### CONCLUSIO III.

Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obligat omnes & solos, quos obligat præceptum divinum Confessionis.

Ita prædicta verba interpretatur Concilium Trid. sess. 14. c. 5. circa finem ibi: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christiani fideles (id est baptizati) confiterentur, quod non divino necessarium & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum Confessionis (utique divinum) semel in anno ab omnibus & singulis (supra delictibus seu baptizatis) cum ad annos discretioris pervenissent, impletetur.* Ergo illi omnes, & soli obligantur præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, quibus Ecclesia intelligit jure divino necessarium esse confiteri, id est, illi omnes, & soli, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt, sive hoc, sive illo peccato, omnes, inquam, nullo probris excepto.

Quod addo; quia sunt Nonnulli, qui videtur dubitare, an baptizati à fide apostate, utputà Hæretici, obligentur præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis; idque quia in Concilio Lateranensi specificatur *fideles*, similiter in Concilio Trid. loco citato, & can. 8. Accedit quòd Hæretici non observent istam legem; adeoque illis potius sit in destructionem, quam in ædificationem.

Sed hæc parvi sunt momenti; nam in primis Tridentinum, explicans necessitatem præcepti divini, etiam specificat *fideles*, dicens eodem cap. in principio: *Dominus noster Iesus Christus è terris adscensus ad Cælum, successores suos ipsius vicarios reliquit, tanquam Praefatos & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint.* Extamen nullus propterea dubitat, an hæretici teneantur jure divino Confessionis. Igitur per *fideles*, intelligit Concilium Lateranense hominem baptizatum, quoniam Baptismus est Sacramentum fidei.

Quapropter eximitur ab hoc præcepto homo non baptizatus, quamvis alioquin haberet veram fidem Christi; nec mirum, cum etiam non comprehendatur præcepto divino, utputè carens materia necessaria Confessionis, quæ est peccatum mortale hominis baptizati, ut patet ex dictis sess. 2. concl. 1.



Et dato, quod infideles, id est, non baptizati, (sic enim passim in jure vocantur) aliquo modo teneantur jure divino Confessionis (quem modum supra improbavimus) adhuc minimè comprehenderentur lege Ecclesiastica; quia de iis, qui foris sunt, non judicat Ecclesia. De iis autem, qui per Baptismum intus sunt, licet foris existant per malam voluntatem, sicut judicat Ecclesia per præceptum audiendi Missam, jejunandi, communicandi &c. ita etiam per præceptum annuum confitendi.

Enimvero (& erit responsio ad secundum argumentum) ut lex aliqua sit rationalis & prudens, planè sufficit, quod sit utilis communitati, id est, quod observetur à majori, aut saltem saniori parte communitatis, quamvis hic & nunc aliqui sint, qui ex malitia illam non observent. Cæterum daretur occasio fidelibus ponendi se in tali statu, in quo malitiosè non observarent leges Ecclesiasticas, ut eo prætextu ab illis essent liberi.

Profectò primà fronte absurdum apparet, omnes peccatores obligari, exceptis iis, qui cecidissent in aliquod grave peccatum infidelitatis, quod tantò pejor est, quantò magis evertit fundamentum, & initium humanæ salutis, ac radicem omnis justificationis, ut proinde tantò citius per veram Confessionem oporteat illud expiare. Cùm ergo omnes baptizati, quantumcumque apostata à vera fide, quam in Baptismo professi fuerunt, jure divino teneantur confiteri, & Ecclesia possit ipsos obligare, utpote subditos ratione characteris baptismalis, non dubium, quin etiam ipsis præscripserit tempus Confessionis faciendæ, ne morte præventi, haudquaquam satisfaciant præcepto divino.

Quantum ad, Quis (inquit Scotus 4. dist. 17. q. unica n. 2. 4.) specificavit (Ecclesia præceptum divinum Confessionis) quia peccator adultus, postquam scilicet ad annos discretionis attigerit &c. Et nisi aliud est quam adultus secundum intellectum prius assignatum, puta n. 18. ibi: Per quem adultum non intelligo tantè vel tantè etatis; sed quod habeat etatem ad cognoscendum iustum vel iniustum contra legem Dei. Ubi Scotus nullum adultum excipit à lege Ecclesiastica, quem prius comprehendebat lex divina. Ergo nec nos excipiamus.

Quapropter cum communi sententia dico, etiam pueros ante annum duodecimum obligari præcepto annuæ Confessionis, si reliqua addant. Cur enim minùs ad hanc legem teneantur, quàm ad alias leges Ecclesiasticas, v. g. audiendi Sacram, abstinendi ab operibus servilibus diebus Dominicis & Festivis &c? Immo cur non magis, cùm præceptum annuæ Confessionis sit solùm determinatio juris divini, quo indubiè obligantur? Nichilominus inveniuntur, qui generaliter pueros ante pubertatem excipiunt ab omnibus legibus Ecclesiasticis; sed non

sunt audiendi, quia carent solido fundamento.

Dices; cap. Omnis utriusque sexus æqualiter præcipitur Confessio & Communio; atqui Confessio non obligat pueros statim atque pervenerint ad annos discretionis; ergo nec Communio.

Respondet Lugo disp. 15. n. 151. ex ipsis verbis præcepti colligi diversitatem; nam Communio præcipitur cum illa limitatione: Nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinentiam. Hæc autem rationabilis causa prudenter æstimatur esse, quando puer nondum plene cognoscit dignitatem huius Sacramenti, ut cum debita reverentia accedat.

Quamquam non desint Auctores, qui affirmant, idem esse tempus discretionis ad Confessionem, & Communionem; ita ut quilibet puer, cùm ad annos discretionis venit, & obligatus est lege Confessionis, obligatus etiam sit recipere Eucharistiam, nisi expressè tempus à Confessario prorogetur. Ratio præcipua est, quia æqualiter imponitur omnibus fidelibus præceptum Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis. Additur autem illa limitatio: Nisi forte &c. quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus Communionis, quàm Confessionis.

Accedit; non minorem discretionem requiri ad recipiendam Absolutionem sacramentalem, quàm ad recipiendam reverentè Eucharistiam; nam ad recipiendam Absolutionem sacramentalem, non solum requiritur, quod scias distinguere inter bonum & malum; sed ut scias, te debere omnia peccata cum intimo dolore Confessori manifestare; at hoc non minùs difficile est, quàm scire, te non debere communicare, nisi purgatum à peccatis, & jejunum. Ita Castro Palao de de Leg. disp. 1. puncto 24. §. 2. n. 7. cum Aliis, quos citat. Nec improbabiler, nisi obster consuetudo. Vide disput. 4. sect. 9. concl. 1.

De cætero quo anno præcisè adveniat usus rationis, sufficiens ad hoc, ut puer teneatur confiteri singulis annis, non potest à nobis certò determinari: nam, ut rectè Scotus supra n. 18. In multis ante etatem consuetam (puta ante annum septimum completum) malitia supplet etatem, & non tantum in malis, ut dicunt communia verba, quia forte habet citius prudentiam ad malum, unde dicitur doli capax; sed etiam in bonis, iuxta illud in Legenda S. Agneis: Fides non in annis computatur.

Hinc disp. 4. loco mox citato diximus, nobis displicere, quod quidam Doctores præcisè ex numero annorum (ut circa annum 12. 14. 15.) annum discretionis determinent pro susceptione Eucharistia; cùm aliqui anno decimo, ingenio maturiores sint, & meliùs instructi in rebus fidei, quàm alii anno 16. Et

34. objecto.

Responsio Lugonis.

35. Aliqui docent, esse idem tempus discretionis ad Confessionem & Communionem.

Castro Palao de Leg.

36. In quo aetate incipiat hæc obligatio.



consimiliter aliqui anno 7. melius cognoscunt iustum vel iniustum contra legem Dei, quam alii anno 9. aut 10.

37. Ex quo factum arbitror, quod Concilium Lateran. nullum certum annum specificaverit, sed simpliciter dixerit: Postquam ad annos discretionis pervenerit, relinquens uniuscujusque conscientia annum determinandum, in quo incipit obligatio, prout quisque tardius aut citius cognoscit iustum vel iniustum contra legem Dei.

Appositè Catechismus Rom. p. 2. c. 5. q. 38. Primum ex Concilio Later. canone, cuius initium est: Omnis utriusque sexus, perspicitur, neminem Confessionis legi adstrictum esse ante eam aetatem, qua rationis usum habere potest; neque tamen ea aetas certo aliquo annorum numero definita est: sed illud universè statuendum videtur, ab eo tempore Confessionem puero indicam esse, cum inter bonum & malum discernendi vim habet, in cuiusq; mentem dolus cadere potest: nam cum ad id vitæ tempus quisque pervenerit, in quo de salute aeterna deliberandum est, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet, cum aliter salutem sperare non possit, qui scelerum conscientia premittitur.

38. Rogas, quid si post septennium dubium sit, an sufficienti usu rationis polleant? Respondet Thom. Tamburinus lib. unico Meth. expeditæ Communionis c. 4. §. 3. n. 19. non obligari, quia præceptum Ecclesie est de Confessione absolutè faciendâ; at hi cum non possint ferre materiam certam, id est, peccatum mortale certum, non possunt ab illo absolvi, nisi sub conditione. Quare in illos cadere non potest dicta absoluta obligatio. Hæc ille.

Contrariè. Sed contrâ; cap. Omnis utriusque sexus loquitur simpliciter de Confessione faciendâ, quam gratis hic Auctor interpretatur absolutam, si verum est, quod conditionata Confessio & Absolutio obligent ex iure divino: est enim præceptum Ecclesie determinatio juris divini, sive, ut loquitur Tridentinum, quoddam Ecclesie iure divino necessarium & institutum esse intellexerat, statuit ut saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impletur. Si ergo ex iure divino obligor confiteri peccatum dubium, non video, cur non similiter ex iure Ecclesiastico. An autem obliger; dicam infra suo loco.

39. Aliter respondet ad hoc dubium Castro Palao infra citandus. Quando, inquit, dubium est, an rationis usum habuerint, præsumendi sunt habere, si compleverint septennium, secus antea; quia præsumptio desumenda est ex communiter contingentibus. Additque Joannes Sanchius in suis Selectis disp. 51. n. 31. in fine: Et si constaret puerum ante septennium habere usum rationis, non obinde obligari legis juris positivi; quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt

L. Nam ad ea ff. de Leg. Et cum communiter non contingat usus rationis ante septennium, non debet ante illam aetatem, cui ex accidenti provenit, obligari. Ita refert, & approbare videtur Castro Palao disput. 2. de Leg. punct. 24. §. 2. n. 3.

Hæc sunt verba genuina Sanchii: Immo quamvis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positivo obligari reor: cum leges positivi juris ante illam aetatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare, & per accidens sit in uno vel alio puero rationis usum accelerari, in quo absque discordia puto accidere Doctores: nam ad ea, quæ frequenter accidunt leges adaptantur, leg. Nam ad ea ff. de Leg. Ita Sanc.

Sed hoc ego non facile admiserò in lege Ecclesiastica singulis annis confitendi, & ad minus in Pascha communicandi; quæ non determinat aetatem septennii, sed propter incertitudinem, utpote, quia unus citius, alter tardius utitur ratione, absque expressione aliquis certæ aetatis, requirit in genere annum discretionis.

Probatur à simili; impotentia perscisci, copulam carnalem cum vero semine, dirimit Matrimonium iure Ecclesiastico, donec masculus annum 14. & puella 12. impleat: atamen malitia aliquando supplet aetatem, & valet Matrimonium inquit ante illam aetatem cap. De illis 9. de Despons. impub. ibi: Rogandum, quod si ita fuerint aetati proximi, quod parum copulâ carnali coniungi, minoris aetatis unum separari non debent, si unus in alium usum carnis consensisse, cum in eis aetatem supplerisse malitia videatur. Et ratio est, quia tunc cessat cauda, propter quam jus irritat Matrimonium imposterum, scilicet impotentia generandi, quæ præsumitur ante præscriptam aetatem.

Præterea jus positivum ad valorem Sponsalium exigit septennium; nihilominus probabilius est, malitiam supplere aetatem propter eandem rationem; quia videlicet cessat ratio juris, quæ est non usus rationis ante illam aetatem, qui tamen usus necessarius est ad validum contractum.

Si ergo in his præceptis seu constitutionibus juris, in quibus exprimitur certa aetas, malitia supplet aetatem; quanto magis in præcepto Confessionis & communionis annuæ, in quo nulla certa aetas exprimitur, sed requiritur dumtaxat annus discretionis, quanto, inquam, magis malitia supplet aetatem, communiter præfixam discretioni, id est, septennium completum? Non possum dubitare, quin si sufficienter constet de usu rationis ante septennium completum, & de peccato mortali commissio, talis puer tenetur tum præcepto divino, tum Ecclesiastico Confessionis.

& Joan. Sanchii.

Quar-

Quantum ad legem in contrarium allegatam, hæc sunt ejus verba: Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & faciliè, quàm que per accidens eveniunt. Ergo jus, constitutum ex his, quæ frequenter & faciliè accidunt, non comprehendit ea, quæ per accidens eveniunt: negatur Conf. Illa lex tantum probat, non debere aptari jus ad ea sola, quæ per accidens eveniunt, argumento leg. 4. eodem: Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur. Ubi Glossa verb. Ex his circa finem: Sed licet dicat hic, quod non constituuntur iura pro talibus, subaudi sepe; quandoque enim statuuntur.

Adde leg. 8. eodem: Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. Interim iura generaliter constituta, quis dubitat comprehendere singulas personas, etiam illas, in quibus per accidens militat ratio legis? Igitur jus Ecclesiasticum Confessionis, quod generaliter constitutum est in omnibus personis baptizatis, postquam ad annos discretionis pervenerint, comprehendit etiam pueros ante septennium, quamvis rarò ante illud tempus perveniant ad annos discretionis, id est, utantur sufficienter ratione, ut possint peccare mortaliter.

Sed nunquid etiam incurunt pœnas, sive generaliter à jure latas, sive particulariter ab homine inflictas? Sanchez in Decalogum lib. 1. c. 12. n. 7. Fatendum, inquit, est, pueros, qui 12. annum nati non sunt, omittentes annum Confessionem, non plene tenendos esse pœnis statutis in cap. Omnis utriusque sexus. Quia cum alii tardius, alii citius rationis usum attingant, noluit pia Mater Ecclesia, eos censuris ad sua præcepta servanda cogere ulque ad eam ætatem.

Quod colligitur ex cap. 1. de Delictis pueroꝝ, & sequentis tenoris: Pueris grandisculis peccatum nolunt attribuire quidam, nisi ab annis 14. cum pubescere ceperim. Quod merito crederemus, si nulla essent peccata nisi qua membris genitalibus admittuntur. Quis verbò audeat affirmare iusta, mendacia, & perjuria non esse peccata? At his plena est puerilis ætas: quatinus in eis non ita, ut in maioribus, punienda videantur. Igitur sententia Sanchii est probabilis.

Cumque jus non distinguat inter pœnas à lege constitutas, & ab homine latas, neque nos distinguamus, nisi in casu particulari contrarium confert. In aliquibus locis, inquit Lugo disp. 15. n. 150. solet excommunicatio ferri universaliter contra omnes, qui post octavam ætatis annum non confitentur, ut in quadam Synodo Abulensi tit. 1. part. 2. Peccit, refertur factum: in aliis tamen positive excluduntur pueri ab incurrenda censura, ut in quadam Synodo Abulensi tit. 1. part. 2. Quando verò nihil dicitur, intelliguntur potius excepti, juxta usum communem aliarum excommunicationum, licet in aliquo casu particulari possint illam incurere, ut notavit

Vasquez cum aliis q. 90. a. 2. dub. 4. n. 7. de puero doli capaci, ingrediente septa Monasterii Monialium, & de excommunicatione ob percussione Clerici solet communiter idem dici. Hucusque Card.

Quamquam Nonnulli illos eximant, etiam ab excommunicatione ob percussione Clerici, de qua re alibi egimus, & ideo hic superfedeo ulteriori examini. Vide Tamburinum supra §. 2. à n. 11. usque ad finem. Satis est pro præsentì, quod non incurant pœnas statutas in cap. Omnis utriusque sexus, de quo hic specialiter tractamus.

Neque video ullam urgentem rationem, eximendi ab hac obligatione confitendi, meretricibus publicas, usurarios, & similes peccatores, quos Respublica permittit ob bonum commune. Siquidem, non obstante illà permissio, ne, ex jure divino & naturali tenentur omni momento abstinere ab hujusmodi vita, & inducitur eodem jure peccata sua confiteri; ergo nulla prorsus est ratio, eximendi eos à præcepto Ecclesiastico, quod non est aliud, quàm determinatio juris divini, ne citius differatur ejus adimpletio, & aliquando contingat numquam adimpleri; quæ ratio æqualiter militat, immò magis in publicis peccatoribus, qui quoniam impunè permittuntur peccare, difficilius corriguntur, & sæpius decedunt abfque vera Confessione, necessaria ex jure divino.

Quantum ad pœnas, ab his ab Aliquibus eximantur ex benigna interpretatione voluntatis Prælatorum, sed de hac voluntate Prælatorum nobis non satis constat, saltem quantum ad pœnas cap. Omnis utriusque sexus; cum Ecclesia universalis nusquam hujusmodi peccatores publicos permittat. Fortè particulares Episcopi habent contrariam intentionem ex eo, quod illos permittant; porò intentio seu voluntas legislatoris est anima legis. Alioquin si illa sit voluntas generalis Prælatorum, miror, quod hæcenus nemo illorum eam expresserit.

Hoc firmissimè teneas, & nullatenus dubites, Prælatos ipsos non incurere pœnas, à se constitutas, argumento §. ultimi Instit. Quibus modis testamenta infirmantur. ibi: secundum hoc divi Severus & Antoninus sapissimè rescripserunt. Licet enim (inquunt) legibus (coactivis seu pœnalibus) soluti simus, attamen legibus vivimus; quoad vim directivam in materia communi, id est, quæ non dedecet conditionem Principis, sicuti maximè dedecet pœna, & externa coactio; pœnis quippe cogi, fervilem conditionem involvit, cum tamen conditio Principis sit prorsus libera.

Et sanè quæ possit esse auctoritas, aut reverentia illius Regis, qui publicè flagellaretur, cujus bona confiscarentur &c. Unde illa obligatio cederet non in ædificationem, sed

45. Non est ratio eximendi ab hac obligatione meretricibus publicas, usurarios, & similes peccatores.

An eximantur pœnis.

46. Prælati non incurunt pœnas, à se constitutas.



sed magis in destructionem boni communis. Tamen enim quâ parte servat pœnam legis, potest esse subditis ædificationi, eadem ex alia parte, quâ manifestat se violasse legem, esset scandalum communitati, juxta illud commune dictum: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Et aliud: *Qualis Rex, talis grex.* Quod his verbis exprimit Scriptura sacra Ecclesiastici 10. v. 2. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.*

Ecclesi. 10.

47. Summus Pontifex tenetur præcepto Confessionis annuæ quoad vim dicitur.

Ex quo patet, cur summus Pontifex, etsi non obligetur pœnis statutis in cap. *Omnis utriusque sexus*; nihilominus vi istius legis teneatur singulis annis confiteri; nam Confessio nullatenus dedecet Pontificem, cum certò certius jure divino ad illam obligetur, & scriptum sit cap. *Cum omnes 6. de Constit.* *Cum igitur quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, & sapientis (Catonis in Distichis Moralibus) dicat auctoritas, Patere legem, quam tu ipse tuleris, mandamus quatenus & c. Et leg. 4. Cod. de LL. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.*

Digna profectò vox, ne alioquin audire contingat, quod Christus Matt. 23. locutus est ad turbas de Scribis & Phariseis v. 3. & 4. *Omnia quaecumque dixerint vobis servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. Quod est contra primum principium naturale: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et, secundum Ecclesiasticum supra, non potest generare nisi scandalum; unde v. 3. subjungit: *Rex insipiens, qui non sapit ea, quæ legibus communibus præcipiuntur, perdet populum suum*; utique malo suo exemplo invitans subditos ad transgressionem legum, & contemptum Legislatoris.

48. idque directè & per se sub eadem obligatione.

Existimo ergo, Pontificem directè & per se, sub eadem obligatione, quâ alii fideles, nempe sub peccato mortali, cum materia sit gravis, & non constet de contraria voluntate Legislatoris, teneri singulis annis confiteri.

Ratio à priori.

Ratio à priori est; quia non habet potestatem à Deo in destructionem, sed in ædificationem; jam autem potestas ferendi leges in materia morali & communi, cum exceptione sui ipsius sine justa causa, est in destructionem, ut patet ex dictis, ergo & c. Sanè ratio naturalis, quæ dicitur Superioribus esse obediendum, etiam dicitur quòd caput debeat se conformare cæteris membris, ubi, & quando commodè potest. *Turpis enim* (inquit August. lib. 3. Confess. c. 8.) *omnis pars est, suo universo non congruens.* Quis autem nesciat, Principem non tantum esse caput, sed etiam partem Reipublicæ? Numquid caput corporis physici, non est etiam pars corporis physici?

S. Aug.

Et verò licet Pontifex (eadem est ratio aliorum Principum) immediatè legem constituerit, eadem tamquam minister Dei. *Nisi est enim, inquit Apostolus Rom. 13. v. 1. potestas, nisi à Deo; quæ autem (potestas) sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Porro non est ordinata seu concessa potestas à Deo Pontifici, alligandi gravia onera & importabilia, & imponendi in humeros subditorum, ubi & quando Pontifex, tametsi commodè possit, non vult ea digito suo movere.

Itaque legislatio ut valeat, oportet sit conformis intentioni ipsius Dei, quæ utique intentio est, ut feratur lex pro bono communi; huic autem bono repugnat legislatio, cum exclusione Legislatoris, tum propter difformitatem, tum propter scandalum, & alias rationes.

Cæterum licet difformitas & scandalum sint aliqua occasio & ratio, quare Deus sub illa conditione dederit potestatem legislativam, non est tamen propriè causa obligationis Legislatoris; sed proxima causa est propria lex, quæ ratione difformitatis & scandali, & aliorum inconvenientium, ita censetur lata, ut comprehendat Legislatorem, eo plane modo, quo lex territorii, in quo morantur peregrini, obligat peregrinos per se & directè, sub eadem obligatione, quâ incolæ; licet difformitas & scandalum sint occasio, & ratio aliqua, quare Princeps territorii censetur habere potestatem obligandi legibus suis tam incolas, quàm peregrinos, pro tempore ibi existentes.

Radicaliter ergo hæc obligatio Legislatoris, sicut qualibet alia, est naturalis & divina; fundatur enim in ratione naturali, scilicet in necessitate boni communis; at tamen proxime & formaliter est positiva humana, ejusdem rationis cum obligatione subditorum, nisi quòd subditi transgrediendo legem peccent contra obedientiam debitam Deo, & Superiori; Legislator autem propriè loquendo contra obedientiam debitam soli Deo.

Si inferas; ergo non est obligatio positiva humana, sed divina. Respondeo cum distinctione, ut prius; est obligatio divina radicaliter, concedo; formaliter, nego; quippe nisi Legislator communitatem suam obligasset, nec iple obligaretur. Quòd ergo debeat tibi & nunc obedire Deo, non oritur proxime & formaliter ex præcepto divino, sed ex præcepto proprio, procul dubio positivo humano.

Dico; *Nisi communitatem suam obligasset*, quia Legislator non potest obligari lege propria, tamquam præcepto directè sibi imposito, interim potest directè obligari præcepto imposito pro tota communitate, cujus iple est pars: etenim per tale præceptum constituitur certa regula virtutis, quam iple ex vi rationis

tionis naturalis sequi tenetur; quia ita præscriptum est ab auctore talis potestatis.

Præcipit ergo quodammodo sibi, & (si ita velimus loqui) quodammodo sibi ipsi obedit, sed sub diversa consideratione; præcipit in quantum caput suæ communitatis, & obedit quatenus pars ejusdem communitatis. Præcipit ut minister Dei, per potestatem aliquo modo divinam, id est, à Deo acceptam, & obedit propriæ legi tamquam homo, unus ex illis, pro quibus lex est generaliter constituta. Sicuti dum dispensat cum sua communitate in aliqua lege, censetur etiam secum dispensare, tametsi dispensatio sit actus aliquis superioritatis; nemo autem sit superior sui ipsius sub eadem consideratione, secus sub diversa.

Hoc saltem, inquit Herincx part. 2. tract. 3. de Leg. disp. 3. n. 124. apud omnes certum est, Principem suppositâ suâ lege, taxante pretia rerum, debere sequi eandem taxam pari, & gravi obligatione, idque jure naturæ, quo cavetur, ne res plures vendatur, aut minoris ematur, quàm communiter valeat; suppositâ autem taxâ, valet præcisè prout taxata est. Hæc ille.

Verùm enimverò cum duplex sit pretium rerum, aliud legitimum, aliud vulgare seu naturale, si Princeps non obligaretur immediate ex vi & efficacia suæ legis, nescio quare peccaret pari & gravi obligatione, si neglecto pretio legitimo, acciperet pretium vulgare seu naturale, quod seclusâ lege positivâ, taxante pretium, potest esse justum.

Igitur omnibus illis, quibus certum est, Principem suppositâ suâ lege, taxante pretium rerum, debere sequi eandem taxam pari & gravi obligatione, etiam certum esse debet, Principem, suppositâ suâ lege audiendi Missam, jejunandi, celebrandi Festa &c. debere audire Missam, jejunare, celebrare Festa &c. pari & gravi obligatione. Sicuti enim per legem, taxantem pretia, hoc vel illud pretium constituitur medium justitiæ necessarium, quod seclusâ tali lege, non esset necessarium; ita quoque per legem jejunii constituitur abstinentia à carnibus, & secundâ refectio, medium necessarium temperantiæ, quæ seclusâ tali lege, non esset medium necessarium. Cur autem Princeps magis teneatur servare medium justitiæ, quod tale est ex propria lege, quàm medium temperantiæ, hæud clarè video.

Quapropter permaneo in priori resolutione; videlicet, Pontificem pari & gravi obligatione debere singulis annis confiteri, ex vi legis Ecclesiasticæ cap. Omnis utriusque sexus; quamquam contraria sententia non sit improbabilis.

Pro qua posset allegari quod ait Doctor Subtilis 4. dist. 17. n. 10. Si hæc opinio (videlicet, Confessionem non cadere, nisi sub

præcepto Ecclesiæ) vera esset, videretur, quod Papa non teneretur confiteri; quia sicut habetur extra de Verb. signif. Exiit qui feminat, non habet imperium par in partem.

Resp. 1. non loquitur Scotus assertivè, ut patet ex ly Videretur, scilicet, secundum probabilem Aliquorum sententiam.

Resp. II. ex probatione Scoti solum sequitur, Pontificem non obligari ex lege Prædecessoris; secus ex propria lege, qualis censetur, dum est jam Pontifex, & eam non revocat; quamvis enim posset illam abrogare, si tamen non faciat, censetur eo ipso quasi de novo eam constituere.

Denique Doctor Subtilis loquitur ibi de Confessione; quæ nullo modo esset juris divini; sed, etiam quoad substantiam, juris Ecclesiastici; nos autem de Confessione, quæ est juris divini quoad substantiam, juris autem Ecclesiastici quoad solam determinationem temporis.

Quæ sanè differentia, licet apud me parùm habeat momenti; interim Aliquibus tantum valet, ut existimant, Pontificem graviter peccare, non observando Confessionem annuam, estò peccaret solum leviter, non observando leges merè Ecclesiasticas; quia, inquit, Christus præcipiens Confessionem, videtur etiam præcepisse Ecclesiæ, quod determinaret tempus lege aliquâ Ecclesiasticâ. Sed de hoc præcepto Christi, mihi non satis constat.

Cæterum, inquit Lugo disp. 15. n. 143. negari adhuc non potest, probabile esse, quod si hanc legem Ecclesiasticam quoad se non omnino tolleret, sed alteraret quoad tempus, volendo, quod determinatio temporis quoad se, esset pro hac vice annus cum dimidio, non peccaret graviter; jam enim relinqueret aliquam determinationem temporis etiam profè, & aliunde non videtur culpa gravis, non conformare se in omnibus cum suis subditis. Hæc ille.

Consultissimum ego arbitror, ut, qui dici debet Sanctissimus secundum officium, etiam sit Sanctissimus secundum vitam, vel ad minus sanctus, qui, licet in hac mortali vita in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadat, dicere tamen possit: Quis ex vobis arguet me de peccato mortali?

In quo utique casu Ecclesia non specificavit præceptum de Confessione, ut est communis sententia, quam docet Scotus 4. dist. 17. n. 25. sequentibus verbis: Dico, quod quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad Confessionem venialium in quocumque casu: nec in hoc Ecclesia specificavit præceptum de Confessione. Et hoc rationabiliter: quia ipsa utitur Sacramento Penitentia, tamquam tabulâ secundâ contra naufragum, quod non est in venialibus.

Adjungit secundam probationem: Nec

Prima resp. Pontifex

Secunda

Tertia

54. An Christus præcepit Ecclesiæ, quod determinaret tempus Confessionis?

Lugo

55. Ecclesia non præcepit penitentiam nisi in confessione venialium.

Probatio ex Scoto

Secunda ex eodem

aliquis inquit, tenetur ad aliquam Contritionem de venialibus: immo in actuali voluntate, vel actu venialis moriens, salvabitur, vapulabit tamen; non videtur autem, quod aliquis teneatur ad secundam partem Penitentia, quae est Confessio, de quo non tenetur habere Contritionem vel Attritionem.

Tertia eius probatio.

Probat III. Hoc etiam patet ex alio, quia (sicut supra dictum est) venialia delentur totaliter quantum ad culpam & poenam, quandoque sine aliquo opere speciali, sicut per actum ferventem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta consumitur à flamma vehementi.

56. Obiectio.

Si autem queras à Scoto: Quomodo ergo Sacerdos cognoscat vultum pecoris sui, si ille, qui dixit se vixisse innocenter, non tenetur confiteri venialia sua? Respondet Doctor: Si quis sibi confiteretur, & solum venialia, ex quo cognoscat ipsum non fecisse nisi sola venialia? Ex nullo nisi ex Confessione sua. Ergo sibi eodem modo credat venienti & dicenti: Domine regrator Deo, quia ex quo fui ultimo confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali: date mihi Eucharistiam: & in ista Penitentia tantam habet cognitionem vultus pecoris sui, quantum si narrasset venialia sua per duos dies, nec aliam certitudinem posset habere de propriis venialibus; si confiteretur, quam modo habet de innocentia eius, scilicet per proprium testimonium eius, Quantum igitur ad Quæ Ecclesia circa illud præceptum non specificavit. Hucusque Scotus, contra Richardum 4. dist. 17. a. 2. q. 4. asserentem, ex præcepto Ecclesiæ venialia esse confitenda, quando quis non habet mortalia; quod ante ipsum docuerat D. Bonaventura 4. dist. 17. p. 2. a. 2. q. 1.

Responsio ex Scoto.

57. Sententiam Richardi, confitenda esse venialia in defectum mortalium, impugnat Scotus primò.

Hoc, inquit Scotus supra n. 24. non intelligo; quia in illo capitulo dicitur: Omnia peccata tua; aut sit tibi distributio de peccatis venialibus, aut non. Si sic, ergo habens mortalia per virtutem illius præcepti tenetur ad Confessionem venialium; si non, ergo non habens mortalia, sed tantum venialia, non tenetur ad Confessionem illorum, quia simpliciter non cadunt sub illo, quod dicitur tibi: Omnia peccata tua. Unde videtur contradictio ponendo eundem intellectum vocabulorum istorum: Omnia peccata tua, dicere istum obligari ad Confessionem venialium, & non istum.

Impugnat secundò.

Impugnat secundò; Esto quod aliquis vixit sine peccato mortali usque ad medium Quadragesimæ, si tunc confiteretur ut implet præceptum Ecclesiæ, per te, tenetur confiteri venialia, quia illa sola habet; peccet illo die mortaliter, velit post implere præceptum Ecclesiæ de Confessione, per te, non tenetur confiteri venialia illa, quæ prius habuit; ergo per commissionem mortalis absolutus est ab aliqua obligatione, scilicet à Confessione venialium, quod videtur irrationabile. Hæc Scotus.

Quem proinde non videtur inspexisse Vasquez, quando q. 90. a. 2. dub. 3. n. 11. ait: Quod primò probat bene meo iudicio Scotus, quia in ea Decretali jubemur confiteri quot-

annis omnia & singula nostra peccata, unde non tantum præcipitur quæcumque Confessio, sed eorum peccatorum, quæ singula confiteri tenemur, hæc autem, secundum omnium sententiam, sunt mortalia; ergo de iis tantum intelligitur præceptum Concilii. Hæc ille.

Sed perspicue manifestum est, quod in ea Decretali non legatur *ly singula*, & ideo Scotus supra: In illo capitulo dicitur: Omnia peccata tua. Ubi Vasquez legerit, Et *singula*, nescio. Credo quod in sua phantasia, cum nec in Scoto, nec in ea Decretali reperitur.

Præterea probatur communis sententia: quia peccata venialia absolvi possunt à simplici Sacerdote, cum tamen Confessio annua, de qua in cap. Omnis utriusque sexus, debet fieri proprio Sacerdoti; ubi: Omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.

Nec obstat, quod in aliquibus Decretis excommunicentur universaliter omnes, qui non confitentur semel in anno; quia supponuntur Episcopi, rarissimum esse casum, in quo quis non peccat mortaliter, si intra annum non confiteatur. Unde planè convenit, ut talis præsentet proprio Pastori, & dicat: Domine regrator Deo, quia ex quo fui ultimo confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali, date mihi Eucharistiam.

Verbo igitur ut concludam, præceptum Ecclesiasticum est determinatio juris divini, de jam sæpius diximus, ad tempus annum; a quo jus divinum non obligat ad Confessionem peccatorum venialium, etiam quando quis non habet mortalia; ergo neque præceptum Ecclesiasticum: ac proinde, ut habet Concilium, omnes & soli illi tenentur præcepto Ecclesiastico annua Confessione, qui obligantur præcepto divino; neque satisfiat præcepto Ecclesiastico, nisi per Confessionem iure divino necessariam, id est, per Confessionem validam alicujus peccati mortalis, nunquam directè absoluti. Quapropter erit

CONCLUSIO IV.

Confessio annua debet esse Confessio valida alicujus peccati mortalis, saltem dubii, nunquam directè absoluti.

Ratio est; quia illa sola est iure divino necessaria, ac per illam solum satisfiat præcepto divino: jam autem Concilium Lateranense statuit, ut, quod iure divino necessarium & institutum esse intellexerat, saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos dicitur.

discretionis pervenissent, impletur; ergo ille, qui non implet, quod jure divino necessarium & institutum est, non implet præceptum Ecclesie; cum non ponat materiam præcepti.

Egredemur non sufficere Confessionem venialium, facile admittunt, qui admittunt illam non esse necessariam; qui autem agnoscunt ejus necessitatem, consequenter negare non possunt, per eam satisfieri præcepto; adeoque ita confessum non teneri (secundum probabilem sententiam, de qua infra) illo anno amplius confiteri; etsi de novo peccet venialiter, aut etiam mortaliter. Porro secundum communem sententiam, tamen quis centies confessus fuisset peccata venialia, si contingat ipsum peccare mortaliter, tenetur illo anno confiteri istud peccatum mortale; quia nondum satisfecit præcepto, & nunc potest satisfacere. Non satisfacit ergo præcepto, qui tantum confitetur venialia; cum non ponat, quod præceptum est.

Quamquam (inquit Ludovicus de Scildere in Synopsi de Sacramentis §. 73.) eam Confessionem autem nonnemo (Ochagavia apud Dianam p. 3. tr. 4. resol. 206.) ab Ecclesia in solutionem acceptari, sicut lectio vespertina Horarum matutinarum pro die sequenti acceptatur, licet tempus præcepti nondum inceperit. Non id omnino improbabile est, si Confessio facta sit in Paschate: nam fidelibus quomodocumque in Paschate confessis, non videtur umquam postea moveri conscientia de instituenda intra annum novâ Confessione, licet postea mortaliter peccent. Hec præfatus Auctor.

Respondet; ideo fidelibus istis non movetur conscientia, quia à multis creditur annus finitus tempore Paschæ. Interim omnes putant, se teneri ad Confessionem pro altero Paschate. Nihil ergo video majoris probabilitatis in illa sententia, si Confessio facta sit in Paschate, quam si facta fuerit alio tempore.

Ad simile facilis est disparitas; nam in nostro casu non ponitur res præcepta, scilicet Confessio peccati mortalis; in alio casu ponitur res præcepta, puta lectio Matutinarum; quamvis non illo tempore, pro quo alias præcepta erant.

Quantum ad peccatum mortale dubium; vel illud confitendum est jure divino, tamen nullum aliud adit certum, vel non. Si confitendum est, cum per Confessionem illius satisfiat præcepto divino, nescio quare non similiter satisfiat præcepto Ecclesiastico.

Dicit aliquis; quia fieri potuit, ut non fuerit peccatum mortale; per consequens, quod non receperit ne quidem validum Sacramentum.

Respondeo; etiam fieri potuit, ut fuerit peccatum mortale; per consequens quod receperit validam Absolutionem peccati mortalis. Si ergo requiritur ex præcepto Christi Confessio peccati mortalis dubii, quamvis fieri possit, ut non fuerit peccatum mortale; cur non similiter sufficiat Absolutio peccati mortalis dubii, quamvis fieri possit, ut non fuerit peccatum mortale? Enimvero Christus præcepit Confessionem peccati mortalis, quam subsequeretur Absolutio sive sententia Judicis; absoluta, si Confessio fuerit absoluta; conditionata, si Confessio solum fuerit conditionata. Aliud foret, si vel malitia Judicis, vel ex defectu potestatis nulla sequeretur sententia.

Si autem aliquis dixerit, peccatum mortale dubium non esse confitendum ex jure divino; dico ego consequenter, per Confessionem peccati mortalis dubii, sicut non satisficit præcepto divino Confessionis, ita nec satisfieri præcepto Ecclesiastico; quia non est actus præceptus; nam Ecclesia præcipit Confessionem, quam intellexerat jure divino necessariam, & institutam esse.

Et ideo, ut progrediamur ad primam partem Conclusionis, nemo satisfacit præcepto Ecclesiastico Confessionis per Confessionem certò invalidam; talis enim non est jure divino necessaria, nec instituta.

Ex quo consecutarium est, contententem sola peccata externa, dum interna habet conjuncta; aut contententem absque dolore interno, non satisfacere præcepto annuæ Confessionis, tamen externam recipiat Absolutionem, quidquid Aliqui totis viribus reclamant, hoc solo argumento: Ecclesia non judicat de occultis, ergo non præcipit Confessionem peccati merè interni, neque dolorem merè internum.

Sed hanc doctrinam, cardinibus suis luxatam, vidimus disp. 5. lect. finali concl. 6. ubi de præcepto Ecclesiastico audiendi Sacramentum cum intentione interna. Breviter hic dico, Ecclesiam præcipere actum externum, scilicet susceptionem Sacramenti Penitentiae, quod est signum sensibile, ad sui veritatem exigens dolorem internum, & Confessionem externam omnium peccatorum, tamen occultissima sint; cur autem non possit Ecclesia præcipere, seu potius compræcipere ea, quæ necessaria sunt ad constitutionem actus in tali vel tali esse morali, v. g. Sacramenti, orationis, contractus &c? Non video quid obster.

Neque id est directè præcipere actum merè internum (quamvis fortè & hoc possit Ecclesia) sed indirectè, sive, ut dixi, compræcipere, quod absque fundamento negatur potestati legislativæ tam civili, quam Ecclesiasticæ;

C e c c s i s t i c æ ;

62. Non satisficit præcepto per Confessionem certò invalidam,

62. Non satisficit præcepto per Confessionem certò invalidam,

etiam ex defectu talis doloris interni,

63. Responsio ad argumentum Adversariatum.

unde  
confessio  
confiteri  
sententiam  
tantum  
ille.  
in ea  
ideo  
Omnia  
singula  
cum  
perita  
sentia;  
implici  
qua, de  
fieri  
is per  
ficiatur  
confibus  
s, qui  
nonunt  
no quis  
non  
talis se  
Domine  
s, non  
ibi Eu-  
eprum  
ini, ut  
atqui  
tionem  
quis  
eprum  
Con-  
cepto  
obli-  
cepto  
divi-  
va-  
quam  
on-  
cati  
im-  
ino  
præ-  
rer.  
&  
elin  
nos  
ere-

siastica; maxime quando actus internus, qui comprecipitur, necessarius est, ut actus externus, qui directe precipitur, sit utilis bono communi.

64. Tenetur precepto, qui habet sola peccata merè interna.

Itaque tenetur precepto annuæ Confessionis, qui habet sola peccata mortalia merè interna, & incurrit penas, præsertim lata sententia, si forte in aliqua Diocesi constituta sint; nam ferenda sententia, quales sunt pœnæ cap. Omnis utriusque sexus, cum requirant probationem in foro externo, quæ hic deficit; nisi ipse reus spontè suam delictum fateatur, quod rarissimum est, quasi pro nihilo reputatur.

Contrarium defendit D. castillo post Margaritam Confess.

Contrariam sententiam defendit Dicastillo disp. 7. dub. 5. post Margaritam Confessorum veru. Confessio; & ostendit non esse plus quam temerariam, ut eam appellat Suarez disp. 36. sect. 2. n. 2. tum quia multi docent præceptum divinum non obligare extra periculum mortis; tum quia fundatur in ea doctrina generalis, quod Ecclesia non possit præcipere actus merè internos, de quibus non possit iudicare per aliquod signum externum; quam Multi docent, quos refert Diana 3. p. tr. 4. resol. 120. & alii plures, quos refert 8. parte resol. 50.

65. Responso ad fundamentum Dicastillonia.

Sed quantum ad primum; illi Doctores, qui docent, præceptum divinum per se non urgere extra periculum mortis; docent nihilominus, accedente precepto Ecclesie illam Confessionem singulis annis esse necessariam, quæ alioquin in periculo mortis urgeret. Nam Scotus, quem inter alios citat Dicastillo, nupsiam docet, Ecclesiam specificasse præceptum divinum quoad peccata externa tantum, cum tamen diversas specificationes assignet. De 3. articulo, inquit Scotus 4. dist. 17. n. 24. Dico, quod Ecclesia præceptum istud (divinum Confessionis) quantum ad aliqua prædictorum non specificavit, & quantum ad aliqua specificavit: præcipua autem specificatio huius præcepti invenitur in illo cap. extra de Penit. & Remiss. Omnis utriusque sexus.

Scotus.

Et post pauca agens de specificatione quantum ad Quæ (peccata sint confitenda) non disputat, an mortalia interna confitenda sint, an verò sola externa; sed supponens, quoad peccata mortalia Ecclesiam reliquisse præceptum divinum intactum, querit tantum; an peccata venialia sint confitenda ex præcepto Ecclesie. Ergo sententia illa Scoti nihil juvat causam Dicastillonis.

66. Respondeo ad 2. fundamentum.

Ad aliud fundamentum, scilicet doctrinam generalem; Respondeo: si hæc intelligatur de quocumque actu interno, etiam illo, qui necessarius est, ut actus externus specialiter proficiat bono communi, saltem est minus probabilis, & consequenter minus probabilis (quidquid sit de aliis qualificationibus) sententia, quæ in ea fundatur.

67.

Cæterum si objicias Dicastillonis usum si-

delium; qui solent confiteri peccata merè interna. Respondet, illum usum solum obsequere obligationem consistendi; non verò quod est obligatio sit ex vi præcepti Ecclesiastici; sufficit enim, quod tunc divinum obliget, & peccet quis contra divinum. Hæc ille supra n. 90.

Et n. 91. sic inquit: Quod verò tenetur ex vi præcepti divini; non provenit ex eo, quod Christus proprie, & per se poluerit illud præceptum in ea sententia extra articulum mortis; sed ex eo; quod sic teneat consuetudo fidelium; sicut enim consuetudo potest habere locum ad inducendam obligationem circa materiam, quæ cadit sub præcepto positivo humano; etiam poterit circa materiam præcepti positivi divini. Huc ille Dicastillo.

Haud vilis profectò auctoritas consuetudinis, quæ non tantum leges humanas; sed etiam divinas quodammodo instituit, sed est, inducit obligationem circa materiam præcepti positivi divini, scilicet peccata merè interna; seu Confessionem illorum peccatorum; quam tamen Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. nullatenus, secundum eundem Auctorem, potuit præcipere. Credat qui volet.

Ego dico: cum arripiant homines defensionem cuiusque opinionis, ab ea vel nunquam, vel difficile inflectuntur, non advertentes, quod sicut laudabile est de vera sententia non amoveri, ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenuisse, prima laus est; secunda, mutare, ut aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa, vera succedat, inquit Exitus Doctor Ecclesie Sanctus Augustinus l. 3. contra Cresconium c. 3.

Alioquin, si vera est sententia Dicastillonis, quæro; an satisfaciatur precepto Ecclesiastico Confessionis annuæ, qui confitetur peccata externa publica, tacitis his, quæ in foro externo non possunt probari. Enimverò Ecclesia, teste Trid. sess. 24. in Decreto de Reform. Matrimonii, de occultis non iudicat; non solum de occultis merè internis, sed etiam externis; nam loquitur de adulteris occultis, quæ ortum habent ex clandestinis conjugis, ut patet in officianti textum. Et sanè extra forum sacramentale, Ecclesiam non habere potestatem precipiendi revelationem hujusmodi criminum, ita ut reus teneatur ea fateri, nimis manifestum est; cur ergo possit præcipere illam revelationem in foro Sacramenti Penitentia?

Quia, inquit, est forum internum; in quo agitur causa hominis ad Deum; unde iurisdicção fori interni potissimum spectat actus interiores, & circa illos immediate versatur, ut patet in Absolutione sacramentali, concessione Indulgentiarum, & similibus, quæ sunt actus iurisdictionis voluntariæ, & respiciunt privè-



privatam cujusque utilitatem & salutem; ut proinde jurisdictionis sacramentalis sit alterius generis, excedens terminos gubernationis visibilis, & pertinens ad forum Dei, qui iudicat etiam de internis, & voluit constituere Prælatos tamquam Vicarios, ut exercerent in eo foro potestatem ipsius Dei.

Optima responsio! Ex qua utique non minus sequitur, Ecclesiam posse præcipere revelationem peccati merè interni, quàm peccati per accidens occulti, & proficiat fidelibus ad sacramentalis, ut proficiat fidelibus ad sacramentalis, & utraque revelatio pertineat ad forum Dei, qui iudicat etiam de meris internis, & punit merè interna, & voluit constituere Prælatos tamquam Vicarios, ut in illo foro iudicent & puniant merè interna.

Cur ergo Ecclesia in ordine ad istud forum non possit præcipere, ut peccata merè interna dicantur coram Sacerdote, sicut præcipit, ut dicantur peccata per accidens occulta? Non video disparitatem sufficientem; nam neque occulta per accidens potest puniri in foro externo, quamdiu manent occulta; & fieri potest, ut impossibile sit ea publicari, nisi per confessionem ipsius rei, non aliter quàm peccata merè interna; si ergo istorum publicationem potest præcipere pro foro interno, cur non & horum?

Aliquibus non leve argumentum est, Ecclesiam habere potestatem in actus merè internos, quòd Concilium Toletanum I. in asseritione fidei utatur hæc formâ verborum: *Si quis dixerit, vel crediderit &c.* idque non semel, sed decies sexies.

Sic Adversarios respondere, particulam, *Vel*, ibi sumi pro conjunctiva, *Et*; sed quo fundamento? Quia, inquit, semel utitur his verbis: *Si quis dixerit atque crediderit*; non est autem verisimile huic anathematismum alio modo sumi, quàm ceteri. Deinde hoc additum fuit, ut significaretur, quòd etiam factis & ritibus illa censura incurritur.

Sed contra ultimum; numquid quia in anathematismo Concilii Tridentini non additur *ly, Vel crediderit*, ideo non est anathema, qui factis & ritibus contrarium asserit, sed solum qui propriè dictis verbis? Et verò fides, quid magis propriè significat, quàm actum internum? *Corde creditur ad iustitiam*, inquit Apost. Rom. 10. v. 10. *ore autem confessio fit ad salutem*; ergo *ly Crediderit* propriè significat actum internum fidei, & non externam confessionem per dicta, aut facta.

Omitto, quòd tunc ille unicus anathematismus, alio modo sumi debuisset, quàm ceteri; vel si eodem modo, aut omnes copulativè, & tunc nullus foret anathema, nisi qui

verbis & factis contrarium assereret; vel si disiunctivè, jam *ly Atque* in isto uno Canone (qui in ordine est secundus) debuisset sumi disiunctivè pro *ly Vel*; quod magis verisimile est, cum sic possit illa particula accipi, argumento l. *Sapè* 53. ff. de Verbor. significatione: *Sapè ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, & disiuncta pro coniunctis.* Porò convenientius est, unum conjunctum, mixtum sexdecim disiunctis, accipere pro disiuncto, quàm sexdecim disiuncta, propter unum conjunctum, accipere pro conjunctis.

Accipiat ergo *ly Atque*, pro *ly Vel*, & per *ly Crediderit*, intelligatur actus internum fidei, & idem erit intellectus omnium Canonum, seu anathematismorum, clarè probans, Ecclesiam posse prohibere sub pœna anathematis hæresim merè internam; & sic corrigit prima responsio Adversariorum.

Utrumque sit de actibus merè internis pro foro externo, persisto in priori resolutione, puta neminem satisfacere præcepto Ecclesiastico Confessionis, qui non confitetur peccata sua tam externa, quàm interna, ita ut mereatur accipere validam Absolutionem, quâ liberetur ab obligatione juris divini. Licet enim Absolutio non sit actio ipsorum penitentium; equidem non apparet, quare Ecclesia non possit obligare fideles ad faciendum id, quod est necessarium ad illam externam actionem validè suscipiendam, sicut potest obligare excommunicatos, ad faciendum illa, quæ sunt necessaria ad obtinendam validam Absolutionem ab excommunicatione.

Nonne Ecclesia, immo & Magistratus secularis potest obligare reum, ut dicat veritatem quando legitime interrogatur ab habente potestatem? Indubiè. Quis autem dicere audebit, Confessarium, nomine Christi in Confessione sedentem, non habere jus, ut interroget, quæ necessaria sunt ad hoc, ut ipse validè exerceat suam jurisdictionem? Igitur interrogare poterit de interna dispositione; per consequens, penitens interrogatus habebit obligationem dicendi veritatem, quam dicere non poterit, nisi interius se disposuerit sufficienter ad accipiendam validam Absolutionem; ergo saltem indirectè Ecclesia obligat ad internam dispositionem, necessariam ad accipiendam validam Absolutionem.

Non dico: *Fructuosam Absolutionem*; quia, si verum est, quod Aliqui docent, dari Absolutionem validam, sed informem (eo modo, quo datur Baptismus validus, sed informis) non videtur dabitandum, per huiusmodi Absolutionem, seu Confessionem satisfieri utrique præcepto Confessionis, tam divino, quàm humano; sicuti per Communionem sacrilegâ satisficit utrique præcepto Communionis, tam divino quàm humano, ut doceo Disput. 4.

73. Ecclesia potest obligare ad id, quod necessarium est, ut valia de suscipiatur Absolutio.

74. An sufficiat Absolutio valida, sed informis.



sect. 9. concl. 4. Videantur ibi dicta, quia est planè eadem ratio utriusque præcepti; videlicet, quia utrobique ponitur substantia præcepti, ibi verum Sacramentum Eucharistiæ, hic verum Sacramentum Penitentia.

Et quamvis Deus & Ecclesia intendant fructum utriusque Sacramenti, equidem fructus iste solum est finis extrinsecus legis, qui secundùm communem doctrinam non cadit sub legem. Quis enim ambigit, Ecclesiam intendere fructum internum auditionis Missæ? Et tamen nemo etiam dubitat, satisfacere præcepto, qui affilit Missæ abique tali fructu, v. g. quia incapax est propter statum peccati mortalis, propter excommunicationem &c. An fortè quispiam dicere audebit, per Baptismum validum, sed infomem defectu debite dispositionis subjecti, non satisfieri præcepto divini suscipiendi Baptismum?

Dices; disparitas est, quoddam Baptismus non fit iterabilis; secus Sacramentum Penitentia. Respondeo; ideo consultò dixi; *Eo modo quo datur Baptismus validus, sed informis*; sic enim Baptismus validus est, ut ablato obice reviviscat ad effectum remissionis peccatorum, quem à principio habuisset, si non fuisset positum obstaculum. Si ergo verum est, Sacramentum Penitentia validum & informe, ablato obice reviviscere ad effectum remissionis peccatorum, quem habuisset ab initio, si non fuisset positum obstaculum; quamvis Sacramentum Penitentia sit iterabile, equidem non satis constat obligatio iterationis: immo etsi non revivisceret; quia semper manet verum, fuisse positam substantiam præcepti, prout patet in Communionem sacrilega, quæ, secundùm probabiliissimam sententiam, non reviviscit ablato obice.

Sed quid, si Sacerdos ex malitia nolit absolvere penitentem, legitimè confessum, & jam dispositum ad accipiendam Absolutionem, non tantùm validam, sed etiam fructuosam? Numquid penitens satisfacit præcepto Ecclesie, & excusatur illo anno ab iterata Confessione?

Si affirmas; quomodo, quandoquidem non satisfecerit præcepto divino? Nam instante periculo mortis, teneretur eadem peccata alteri Sacerdoti, vel eidem confiteri, si est spes accipiendi Absolutionem; quia licet primà vice ex parte sua fecerit, quod potuit & debuit; equidem non suscepit Sacramentum Penitentia, cujus tamen susceptio præcipitur; veluti si quispiam fidelis se disponat legitimè ad suscipiendum Baptismum, & roget Sacerdotem, ut se baptizet, nisi Baptismus subsequatur, reverà non satisfecit præcepto suscipiendi Baptismum, & tenetur ab alio petere.

Idemque dicendum videtur, si Sacerdos nolit administrare Eucharistiam, videlicet non satisfecisse præcepto Ecclesiastico Commu-

nis seu annuæ, seu Paschalis, eum cap. Omnis Sacerdos utriusque sexus dicatur: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum*, non tantùm spiritualiter seu voto, sed etiam sacramentaliter; ut constat ex communi sensu fidelium. Ergo consimiliter non videtur satisfecisse præcepto Ecclesiastico Confessionis, qui habuit votum suscipiendi Sacramentum Penitentia; & ex parte sua fecit omnia, quæ sunt necessaria ad suscipiendum, nisi realiter susceperit.

Unde ly *Confiteatur*, quo utitur Concilium Later. in cap. *Omnis utriusque sexus*, significat Confessionem cum effectu, ut sic loquar, id est, cum Absolutione, ut colligitur ex illis verbis: *Et inmittam sibi Penitentiam propriis viribus studeat adimplere*; non autem tenetur Penitentiam adimplere, nisi secutà Absolutione.

Alioquin etiam juri divino satisficeret per Confessionem, non secutà Absolutione; nam Trid. sess. 14. c. 5. explicans jus divinum, solo nomine Confessionis utitur, dicens: *Ex institutione Sacramenti Penitentia iam explicatà, universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, iure divino necessariam existere.*

Et reverà, nisi penitens in casu proposito accedat alium Confessarium, quem scit paratum ipsum absolvere, & iteratò confiteatur peccata sua, non facit omnia, quæ sunt necessaria ad suscipiendum Sacramentum; nam unum ex necessariis est, confiteri Sacerdoti parato ad absolvendum; & quamvis bonà fide existimaverit priorem Sacerdotem paratum, adeoque bonà fide fecerit omnia necessaria; interim cognità ejus renitentia, & negatione Absolutionis, jam cognoscit se non fecisse omnia necessaria.

Itaque non video, quomodo possit talis excusari ab iterata Confessione faciendâ eodem anno; nisi fortè ratione difficultatis, quæ non reperitur in præcepto Baptismi, aut Communionis. Interim, quoniam manet obligatio alio anno confitendi eadem peccata, cum, ut suppono, necdum satisfecerit præcepto divino; hæc difficultas, tametsi satis magna sit, ut Confessarius, qui nolit absolvere, eum commode possit, peccaverit mortaliter; hæc equidem satis clarè videtur sufficere, ad excusandum penitentem ab iterata Confessione, faciendâ hoc anno; nisi fortè sequenti anno possit accipere Absolutionem ab eodem Confessario, etiam sine nova distinctâ explicatione peccatorum, & hoc anno non possit accipere, nisi alteri confiteretur.

Restat ultima pars Conclusionis, videlicet: *Peccati mortalis, namquam directè absoluti, quæ nullam patitur contradictionem; nam quomodo admodum peccatum veniale non est materia necessaria Confessionis ex jure divino, ita neque peccatum mortale, semel directè absolutum;*

75.  
Obiectio  
solvitur.

76.  
Quid si Sacerdos ex malitia nolit penitentem dispositum absolvere?

77.  
Non satisfecisse præcepto pro-

tum; ergo veluti Confessio peccati venialis non est necessaria ex præcepto Ecclesiastico, pariter neque necessaria erit Confessio peccati mortalis, aliquando directè absoluti; & exinde, ceu per Confessionem peccati venialis non satisfit præcepto Ecclesiastico, nec itidem satisfacit per Confessionem peccati mortalis, aliquando directè absoluti. Quapropter:

CONCLUSIO V.

Si quæ in aliquo casu sit obligatio per se, confitendi peccata mortalia, semel directè absoluta, hæc ipsa pendet à libera acceptance penitentis.

80. Dico; obligatio per se, quia fieri potest, ut Confessio iterata peccati mortalis, sit necessaria ad debitè confitendum peccatum mortale, numquam directè absolutum; quo casu indubiè est obligatio confitendi peccatum mortale semel directè absolutum, confitendi, inquam, vel, ut rectè loquar, narrandi; nam propriè dicta Confessio est narratio in ordine ad Absolutionem à peccato narrato, qui ordo tunc non est necessarius. Sed de hac obligatione impræsentiarum non tractamus; verùm de obligatione per se & directè, procurandi Absolutionem à mortali, semel directè absoluto; & negamus omnem hujusmodi obligationem, independentem à libera acceptance penitentis.

81. Quod addo, propter Statutum aliquod Ordinis Cisterciensis, approbatum à summis Pontificibus Pio 2. & Sixto 4. quo, ut Aliqui volunt, præcipitur, ut omnes Religiosi sua peccata, etiam alteri confessa, semel in anno Prælato confiteantur: cui Statuto Religiosus voluntariè & liberè se subicit, quando voluntariè & liberè profitetur illam Religionem; sicuti voluntariè & liberè se obligat ad paupertatem, obedientiam, & castitatem, ad quæ ab Ecclesia non obligatur, immo nec potest obligari.

Alii aliter respondent ad hoc Statutum. Valquez q. 93. art. 1. dub. 6. n. 17. ait primò, illam Constitutionem non aliter potuisse obligare, quàm ratione voti & juramenti, quod interiores præstarent; quod tamen, inquit, credo non fuisse, quia illius non fit mentio. Secundò, quia ordinariis Confessariis concederetur facultas injungendi illam pœnam, quod fieri potuit; alià verò ratione non video quomodo fieri potuerit; potius enim videtur zelus nimius, sed non secundùm scientiam, quàm res digna præcepto. Sed Sixtus 4. eam confirmavit secundùm opinionem quorum-

dam, repugnantibus verò multis viris doctis. Hæc ille.

Sed contra primum; non est opus alio voto, quàm voto solemnis professionis illius Religionis; nam hoc ipso professus subicit se omnibus Constitutionibus legitimis illius Religionis, & sic non mirum, quòd nulla fiat mentio alicujus voti aut juramenti in illa Constitutione.

Contra secundum; in illa Constitutione nulla prorsus fit mentio Confessariorum, ut vel debeant, vel possint talem Penitentiam imponere. Et verò si res illa non est digna præcepto, sed zelus nimius non secundùm scientiam, nùm erit res digna satisfactione sacramentali, quæ & ipsa est præceptum particulare?

Quantùm ad Sixtum IV. quòd Statutum illud confirmaverit repugnantibus multis viris doctis, mihi non constat. Et quamvis aliqui repugnassent propter difficultatem præcepti, indè non sequitur, quin Religiosi, si velint, possint se ad illud opus obligare, quemadmodum ad alia opera consilii, paupertatem, castitatem, obedientiam, quæ difficiliora sunt.

An autem sit Constitutio obligans; ipsi viderint. De facto sic moderata dicitur, ut quamvis tertio debeant confiteri Prælato, non tamen peccata priùs directè absoluta. Atque ut priùs directè absoluta, rursùm deberent confiteri; liquet; quia illa obligatio oritur ex libera acceptance penitentis, dum liberè profitetur talem Regulam. Consimiliter obligatio, si aliqua est in Societate Jesu, faciendi Confessionem generalem; in ingressu quidem totius vitæ, deinde singulis semestribus aut annis ab ultima; patet; quia oritur ex libera acceptance penitentis, dum liberè ingreditur Societatem.

Cardinalis Lugo disp. 15. n. 98. Licèt, inquit, pro tota Ecclesia non posset fieri talis lex, obligans ad secundam Confessionem eorundem peccatorum; non tamen video, cur non possit fieri in Religione aliqua observante, in qua possunt ea præcipi, quæ spectant ad perfectionem, quam finis illius Religionis intendit: & quidem, in nostra Societate, una ex potissimis regulis (licèt non obliget sub gravi peccato) est, quòd subditus manifestet totam suam conscientiam bis aut semel in anno Superiori, ita ut nihil grave ipsum lateat; quod medium habetur tamquam unum ex magis substantialibus & necessariis ad finem nostræ Religionis. Nec id solius nostri Ordinis est, sed commune ferè Ordinibus Religiosis antiquis. Cùm ergo hæc notitia, quam Prælatus habere debet de conscientia subditorum, maximè necessaria sit ad finem Religionis, non video, cur non possit fieri lex de illa notitia communicanda in Confessione de peccatis gravibus; hoc enim non auget, sed minuit

82. quàm in pugnat Auctor primò.

Secundò,

Tertio,

83. An sit Constitutio obligans?

Lugo

liberè se obligat in

Omnia sunt... non... lacra... fin... fati... nis, qui... m Pe... que... realiter... cilium... significat... id est... is ver... viribus... niten... e... ret per... nam... solo... x infi... unner... Domino... bus p... ter... opo... para... ceatur... ne... nam... cerdoti... à hie... ratum... illar... atione... fecisse... talis... odem... non... Com... gatio... m, ut... yno;... it, ut... com... haud... ad ex... sio... anno... Con... ctione... pere... icet:... que... tem... teria... ita... olu... tum;

nuit potius onus. Hæc ille; quamvis fateatur obligationem sub mortali fore periculosam.

Iterata  
Confessio  
eiusdem  
peccatorum  
mortalium  
in aliqua  
Religione  
non potest  
præcipi sub  
mortali.

84.  
Responde-  
tur ad Ex-  
travagan-  
tam.

Sed, meo iudicio, illud periculum sufficit, ut non possit sic præcipi. Neque enim Superior Regularis potest præcipere quæcumque aliquatenus conducunt ad finem Religionis; sed debent esse iuxta Regulam, aut saltem non contra Regulam, aut animas subditorum, qualis est iterata Confessio peccatorum mortalium sub mortali, propter periculum non observationis. Deinde cum Superior non possit uti scientiâ confessionali in directione subditorum, ut proprio loco explicabimus, non video, ex quo capite illa notitia possit esse maximè necessaria ad finem Religionis.

Ex his facile respondetur ad Extravagan-  
tam quendam Martini V. quæ incipit: *Ad  
uberiorem fructum*, in qua præcipitur, ut hi,  
qui Religiosis Mendicantibus confitentur,  
teneantur nihilominus semel saltem in anno  
confiteri suis Parochis: *Volamus*, inquit Pon-  
tifex, quod ii, qui Fratribus confitentur, eisdem  
suis Parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno  
confiteri, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur.

Patet, inquam, responsio ad hanc Extra-  
vagantem: nam, præterquam quod non fiat  
mentio eorundem peccatorum, adeoque suffi-  
ciat confiteri illa peccata, quæ pro tunc oc-  
currunt absolvenda, perspicuè manifestum est,  
hanc obligationem, quanta quanta est, oriri  
proximè à libera acceptatione pœnitentis, qui  
nullatenus tenebatur confiteri Fratribus Men-  
dicantibus. Si ergo sponte suâ confessus fuerit,  
sibi imputet, si eadem peccata rursus debeat  
confiteri Parocho; an autem debeat rursus  
confiteri, alibi disputabimus.

85.  
Explicatur  
usum qua-  
rumdam  
Religio-  
sum.

Eodem modo explico usum quarumdam  
Religionum, in quibus est concessa facultas  
absolvendi itinerantes à casibus reservatis, cum  
onere postea Superioribus se manifestandi.  
Cum enim isti itinerantes non teneantur casus  
reservatos in itinere confiteri nisi velint, sed  
possint expectare præsentiam Superioris; si  
confiteantur in itinere, sibi ipsi imputent, si  
secundò debeant eadem peccata manifestare  
Superiori. Quomodo autem illa facultas licita  
& honesta sit, longè & latè disputant Auctores,  
Suarez disp. 30. sect. 5. Valquez q. 91. a. 3.  
Coninck. disp. 8. n. 116. Lugo disp. 5. à  
n. 100. Arriaga disp. 52. à n. 12.

86.  
Explicatur  
usum qua-  
rumdam  
Religio-  
sum.

Dico breviter; sicuti licita & honesta est  
reservatio casuum, pari ratione licita & ho-  
nesta est facultas absolvendi à casibus reserva-  
tis itinerantes, sub onere postea Superioribus  
se manifestandi. Cum enim Superior absolutè  
non teneatur dare potestatem absolvendi à  
reservatis inferiori, sed possit velle, ut itine-  
rantes, postquam reversi fuerint, sibi confitean-  
tur; quidni possit concedere inferiori potesta-  
tem absolvendi à reservatis cum tali onere,

acceptando à pœnitente? Non video quid ob-  
stet; cum illud onus pendeat à libera volun-  
tate pœnitentis, qui non tenetur confiteri  
cum tali onere; sed potest Confessionem suam  
aut totaliter differre, aut dimicare, donec &  
usque ad propria redierit, & confiteatur Su-  
periori, vel alteri habenti potestatem Superioris  
sine aliquo onere.

Si autem à me queritur, an illa obligatio  
comparendi coram Superiore sit gravis? Res-  
pondeo affirmativè; quoniam valde conducit  
ad disciplinam monasticam & finem Religio-  
nis, eo modo quo conducit reservatio casuum.  
Quippe tametsi Superior tali casu non possit  
imponere Pœnitentiam sacramentalem, cum  
eiusdem videatur esse absolvere, & per ab-  
solutionem elevare Pœnitentiam ad esse sa-  
cramentale; quemadmodum in Sacramento  
Baptismi, eiusdem est aquam infundere, &  
proferre formam: interim tamen potest illu-  
taribus monitis subditum suum cautiorem &  
vigilantiorem in futurum efficere; atque illa  
comparatio non modicum revocat subditum  
à peccato, fortè in itinere committendo, &  
absque huiusmodi onere posset absolvi ad in-  
feriori.

Dixi; *Tametsi tali casu non possit imponere  
Pœnitentiam sacramentalem*; quia si verum est,  
quod Aliqui docent tamquam probabile, alium  
Confessarium posse mutare Pœnitentiam sa-  
cramentalem, etiam extra Sacramentum, de  
quo suo loco, cur etiam non sit probabile,  
Superiorem tali casu posse imponere Pœni-  
tentiam sacramentalem? Nonne quia imposi-  
tio Pœnitentiæ sequitur Absolutionem, ideo  
non potest esse sacramentalis? Quid si ergo  
Sacerdos per oblivionem jam absolvisset, antè-  
quam imposuisset Pœnitentiam, putas quia  
Pœnitentia subsequens non foret sacramenta-  
lis? Quid si ergo remittat pœnitentem, jam con-  
fessum & absolutum, ad Superiorem, cum  
obligatione faciendi Pœnitentiam ab ipso in-  
jungendam? Putas quia illa Pœnitentia non  
posset elevari ad esse sacramentale per Absolu-  
tionem præcedentem?

Nec ideo duplex erit minister huius Sacra-  
menti, quemadmodum duplex foret minister  
Baptismi, si unus ablueret, & alter proferret  
formam; quia satisfactio tantum est pars in-  
tegralis, & hoc ipso quòd inferior remittit  
pœnitentem ad Superiorem pro Pœnitentia  
accipienda, censetur imponere Pœnitentiam,  
à Superiore postmodum imponendam.

Fateor, inquis; verum tali casu Superior  
non imponeret Pœnitentiam sacramentalem,  
sed impositam determinaret; quòd possit qui-  
libet facere, etiam non Sacerdos; cum tamen  
non nisi Sacerdos possit imponere Pœnitenti-  
am sacramentalem.

Unde etiam non valet hæc Consequentiâ  
Suarii suprâ n. 24. Superior potest taxare  
pœnitentiam

penam imponendam ab inferiore pro certo aliquo peccato; ergo etiam sibi reservare ultimum iudicium de pena imposita, si intelligas iudicium sacramentale per immutationem Penitentiae, factam proprio nomine & propria auctoritate per ipsum Superiorem. Nam illa taxatio fieri potest per Superiorem non Sacerdotem, qui tamen per se ipsum non potest imponere, aut mutare Penitentiam sacramentalem.

Uter sit de hac controversia; haud equidem dubitandum videtur, Superiorem sic limitare posse potestatem inferioris absolvendi à casibus reservatis; ut Absolutio non valeat, nisi penitens voluntariè acceptet onus comparandi coram Superiore, si non ad imponendam Satisfactionem sacramentalem, saltem ut tali comparatione revocet subditos à peccato; & quasi franco quodam coëreat, cautioreque & vigilantiores in futurum efficiat.

Sed numquid hanc obligationem contraxit is, qui penitus eam ignoravit? Respondet Arriaga supra n. 24. non esse morale, quoddam reperitur ignorantia in Religioso illo iter faciente; cum enim ille iam sciat se habere casus reservatos, scique non posse ab illis absolvi, nisi recurrendo ad Superiorem; cumque in via hoc non possit, saltem apprehendit se debere postea recurrere; ac proinde ibi habet aliquam cognitionem saltem confusam, quæ eam obligationem suscipit. Hæc ille.

Quid ergo, si ille Religiosus iter faciens, invincibiliter ignoret se habere casus reservatos; aut si bonâ fide putet, socium suum habere potestatem absolvendi à reservatis, sine ulteriori onere comparandi coram Superiore, & si sciret contrarium, nollet ei confiteri? Breviter, ponamus casum (sive physicus sit, sive moralis, parùm refert) omnimodæ ignorantia; quarto, quid juris in illo?

Resp. Lugo supra n. 119. Absolutionem esse validam, & subditum manere obligatum ad comparandum, quia per ipsam Confessionem & petitionem Absolutionis contraxit obligationem, propter pactum implicitum ibi contentum. Ratio autem esse potest; quia qui habet voluntatem alicujus actionis validæ exercendæ, vel suscipiendæ, eo ipso habet implicitè voluntatem eorum, quæ ad prædictum actum validè exercendum requiruntur.

Probat à simili: Homo baptizatus, qui efficaciter vult contrahere verum & validum Matrimonium, quamvis invincibiliter ignoret esse Sacramentum, aut esse indissolubile, verè tamen conficit Sacramentum, & contrahit vinculum indissolubile, propter voluntatem universalem & efficacem, quam habuit, contrahendi verum & validum Matrimonium.

Similiter qui suscipit Ordinem sacrum, licet nesciat votum castitatis annexum, adhuc obli-

gatur, propter voluntatem efficacem, quam habuit, faciendi actum istum, prout ab aliis communiter fit. Atque ut talis non contraheret obligationem castitatis, quia illa non requiritur ad valorem Sacramenti; equidem in nostro casu penitens contraheret obligationem comparandi; quia valor Absolutionis pendet à voluntate acceptandi illam obligationem; quia Prælati non aliter vult dare facultatem absolvendi à reservatis.

Aliud exemplum esse potest in eo, qui ignorat penitentem obligari ad implendam Penitentiam, sibi à Confessario impositam; hic enim, non obstat illa ignorantia, eo ipso quod vult recipere Sacramentum & Absolutionem validam; vult etiam implicitè subire illud onus & obligationem, & per consequens obligatur; etiam in casu, quo si eam sciret, nollet suscipere Sacramentum cum tanto onere: nam quidquid sit de eo, quod tunc vellet; nunc tamen verè vult subdi Sacerdoti, & facere hanc actionem validam. Sic ergo in casu nostro, penitens ignorans obligationem, quam subit comparandi coram Superiore, vult tamen subdi huic Sacerdoti in hoc foro; quæ subjectio affert secum necessariò illam obligationem; sine qua non esset valida, quod sufficit, ut tacitè & implicitè velit illam obligationem.

Fatetur tamen Cardinalis supra n. 120. si ipse positivè nollet subire talem obligationem, & ita nollet, ut efficacius nollet talem obligationem, quàm vellet valorem Absolutionis; tunc nec actum valere, nec manere obligatum ex pacto, sed ex priori obligatione, quam prius habebat confitendi peccata reservata suo Superiori.

Hæc doctrina non placet Arriagæ, & contra eam argumentatur à simili: Ego (inquit supra n. 22.) qui sum dominus pallii, habere possum voluntatem, ut quicumque eo pallio utatur, obligetur ad mihi dandum unum Julium; at si Petrus omnino ignorans petit à me, gratiam hanc sibi fieri, ut dem illi commodatum pallium ad unam diem, ego illi do, nihil omnino de ea obligatione significans; utitur ille pallio nihil sciens; postsume ego secundâ die venire, & dicere illi: Tu vi impliciti pacti teneris ad dandum Julium? Profectò nemo id dicere potest probabiliter; ergo cum Religio potuerit itinerantibus hanc gratiam facere sine ullo onere comparandi, ut tollerent illis reservationem, ne forte ob viarum pericula contingeret eos mori sine Absolutione; quoddam autem illa voluerit hoc onus imponere, sit in præsentis casu (ut supponimus) tali homini penitens ignorans, quomodo quæso, dum ille bonâ fide utitur eâ Absolutione, possumus dicere, eum acceptasse implicitè hoc onus, & vi acceptationis ipsius eum esse obligatum?

Profectò hoc ego nullo modo capio; si obligatio

91. Tertium simile.

92. Contra hanc doctrinam arguit Arriaga à simili.

gatio esset annexa actioni non ex acceptatione utentis, sed ex præcepto, aut ex natura rei, tunc facile intelligerem, eum manere obligatum non à sua acceptatione, sed à mandato, quod cauere potest obligationem independentem ab acceptatione; at ratione acceptationis in re contingenter connexa, & penitus ab operante ignorata, est omnino intelligibile. Huculque Arriaga. Qui consequenter respondet ad instantias nostras, vel eandem habere difficultatem, vel obligationem oriri non ex libera acceptatione, sed ex præcepto divino, aut humano.

93.  
Responso  
Auctoris.

Respondeo; etiam in nostro casu oritur aliquo modo obligatio ex præcepto humano, scilicet prohibitione Superioris, irritantis Absolutionem dandam seu datam sine tali onere; neque enim illud onus pendet ab acceptatione penitentis, quasi possit absolvi sine tali onere si velit; sed quia potest non velle absolvi cum tali onere. Interim si velit absolvi, quod præsumitur, etiam de illo, qui ignorans tale onus, confitetur; consequenter debet velle, & implicite censetur velle onus ex voluntate Superioris annexum, nisi velit graviter peccare suscipiendo Sacramentum invalidè, quod non est præsumendum. Dicitur autem hæc obligatio oriri ex acceptatione penitentis potius, quam ex præcepto humano, quia in actu secundo supponit liberam voluntatem confitendi inferiori, id est, Confessio liberè facta inferiori, est conditio sine qua non illius obligationis.

94.  
Respondeo  
ad simile  
le Arriaga.

Ex quo respondeo ad exemplum Arriaga; si antecederet posita fuisset lex, ut quicumque uteretur meo pallio, obligaretur ad mihi dandum unum Julium, etiam qui ignorans illam legem, usus fuisset meo pallio, teneretur vi impliciti pacti ad mihi dandum unum Julium; censetur enim voluisse uti, sicuti alii communiter utuntur, etsi forte non voluisset uti, si scivisset tale onus annexum. Sibi ergo imputet si deceptus sit, quia potuit non uti tali re, si voluisset; adedque illa obligatio proximè quasi oritur ex libera acceptatione utentis, seu ex libero usu talis rei.

Sin verò qui concessit usum pallii, nullo signo externo neque in generali, neque in particulari manifestasset suam voluntatem, obligandi utentem ad dandum unum Julium, patet utique utentem neque ex vi pacti expliciti, neque impliciti ad quidpiam obligari; quoniam non nisi secundum sensibilia signa potest esse civilis communicatio inter homines, & ex consequenti obligatio.

Porrò in casu nostro supponimus, Superiorem voluntatem suam signo externo manifestasse, quamvis hic & nunc aliquis subditus illam voluntatem ignoret: quidquid sit de voluntate merè interna, quæ fortè etiam sufficeret ad invalidandam Absolutionem inferioris

per subtractionem jurisdictionis, quam non habet in casu reservatos, nisi dependenter (ut est verisimilius) ab interno consensu Prælati.

Igitur si quis bonâ fide confessus fuisset, & admonitus de obligatione comparandi coram Superiore, non vellet eam suscipere, nullum haberet jus ad Absolutionem; cum Confessorius non habeat potestatem eum absolvendi, neque Superior teneatur eam dare; sed subditus imputet illud imprudentiæ suæ & ignorantiæ; veluti si bonâ fide confessus fuisset laico. Alioquin quocumque esset confessus bonâ fide non habenti potestatem in reservata, Superior deberet illi dare potestatem absolvendi, quod constat esse fallum. Sed de his plura proprio loco.

Ex hæcenus dictis patet quasi ad oculum, obligationem per se confitendi peccata mortalium, aliquando directè absoluta, si quæ in aliquo casu est; nullatenus provenire ex solo præcepto humano, absque interventu libertatis acceptationis penitentis. Immo nec videtur aliter posse præcipi illa confessio propter suam difficultatem, quæ communiter superat firmitatem humanam; præsertim cum à Deo non inveniatur præcepta, sed prolixè restituta libertati penitentium; ut de illis peccatis citi possit, quod Tridentinum dicit de peccatis venialibus sess. 14. c. 5. *Quamquam restituta est utiliter, citra quæ omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demeruerit, taceri tamen circa culpam... passim.*

Hinc Benedictus XI. Extravag. Inter ceteras, de Privilegiis: *Nec confessi ipse Extravag. (Prædicatoribus & Minoribus) peccata illa, de quibus confessi sunt eis, & absolvi penitentes, de illis teneantur Sacerdotibus propriis (sicut & non tenentur) iterum confiteri: non obstanti Constitutione generalis Concilii (Lateranensis sub Innocentio III. c. 21.) que sano intellectu (ut separatur absurdum; quod per Penitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debet adhuc ad solvendum remanere obligatus) intelligenda est (ut ex ea patet) de illis, qui sua peccata legitime confiteri alii neglexerunt.*

Ubi Pontifex vocat Constitutionem Generalis Concilii (in quo est potestas, si in aliquo est) absurdam, si intelligatur de obligatione ad iteratam Confessionem eorundem peccatorum. Et licet, ut notat Scholium præfixum, hæc Extravagans sit revocata per Clementinam II. de Sepulturis, multa tamen notatu digna in ea reperiuntur, quæ non sunt retractata.

Sed numquid quæ mortalium, eadem est ratio peccatorum venialium, ut nequidem horum confessionem possit Ecclesia præcipere? Non puto; quamvis enim nupiam reperitur per se præcepta, equidem non apparet sufficienti rationi, subtrahendi illam Confessionem

potestati legislativæ Ecclesiæ universalis, Confessionem, inquam, peccatorum venialium, si non omnium, quod ferè moraliter est impossibile, & factis difficile, saltem aliquorum. Pro cuius pleniori intellectu instituitur

CONCLUSIO VI.

Ecclesia potest præcipere Confessionem peccatorum venialium, si non omnium, saltem aliquorum, quæ penitens voluerit eligere. Quidni etiam sub gravi obligatione?

Prima pars bene intellecta est communis: intelligitur autem de Confessione peccatorum venialium, in defectum peccatorum mortalium, id est, Ecclesiæ potest præcipere, ut omnis fidelis utriusque sexûs singulis annis confiteatur sive venialia, sive mortalia.

Probatur à simili: Ecclesia potest præcipere alia Sacramenta, ut Confirmationem, & Extremam Unionem, estò non sint præcepta à Deo; ergo similiter poterit præcipere Confessionem, quæ est actus eximie virtutis, putà virtutis Religionis, & deservire potest ad majorem puritatem conscientiæ, ad Deum placandum, atque ad impetrandum aliquid pro bono communi Ecclesiæ. Quippe unum aut alterum peccatum confiteri est res factis facilis, & pascim homines nihil curant, quòd spargatur, ipsos unum verbum otiosum dixisse, aut levem aliquem motum cholerae passos &c. tamen si huic infamationi, quantumvis levi, provisum sit per sigillum Confessionis, quod obligat, etiam sub mortali, non revelare quemcumque minimum defectum in particulari; non præcisè propter diffamationem, sed quia si ea licentia generalis fieret, facilè homines à Confessione averterentur; cum facilè fieri possit ex imprudentia Confessarii, ut revelaretur peccatum veniale, quòd penitens nollet revelari; immò ut revelaretur peccatum mortale, sive ex inadvertentiâ, sive ex ignorantia. Igitur non apparet, cur minùs possit Ecclesiæ præcipere Confessionem unius aut alterius peccati venialis, quàm auditionem Missæ; aut similem aliquem actum Religionis, vel alterius virtutis.

Neque per tale præceptum peccatum veniale fit materia necessaria Sacramenti Penitentia; quia non teneor nequidem unum confiteri, si habeam mortalia; sed solum ex hypothesi, quòd debeam confiteri, & non habeam aliam materiam sufficientem, teneor

confiteri peccatum veniale.

Si dixeris; Ecclesiæ non potest tali modo præcipere iteratam Confessionem peccatorum mortalium. Respondeo, disparitatem esse, quòd semper adfit alia materia, scilicet peccatum veniale. Deinde majus onus est, iteratò confiteri peccatum mortale alteri Confessario, immò eidem Confessario, quàm primà vice confiteri aliquod peccatum veniale.

Sic ergo intellecta Conclusio, saltem probabilior est, & communior. Immo non est adeò improbable, quòd possit Ecclesiæ ad Confessionem unius vel alterius venialis obligare directè, id est, ad confitendum illud, etiam si cum aliis esset conjunctum, inquit Suarius disp. 22. sect. 8. n. 4. Nam interdum fert aliquam censuram pro veniali peccato, scilicet minorem excommunicationem, ad cuius censuræ abolutionem, necessaria est manifestatio talis peccati.

Nihilominus tamen verùs censeo (profecitur hic Auctor) illud non posse præscribi per se propter sacramentalem Confessionem, tamquam necessarium ad integritatem ejus; tum quia Ecclesiæ non potest mutare materiam Sacramenti; ergo nec facere materiam necessariam, quæ juxta Christi institutionem necessaria non est; tum quia talis Confessio nec ad remissionem peccati venialis est necessaria, cum aliis modis sufficienter possit tolli; neque etiam potest præcipi propter correptionem vel emendationem talis peccati, quia est materia levis; & medicina adeò rigorosa non est proportionata; saltem ut ponatur sub præcepto. Denique neque ad decentiam vel reverentiam Sacramenti potest hoc esse necessarium, ut per se patet. Nec obstat illud de censura; quia ad tollendam censuram, non est necessaria sacramentalis Confessio culpa: quòd si quis eà uti velit propter majus secretum, id est, accidentarium.

Sed contrà; minùs rigorosum est explicare peccatum veniale in Confessione, quàm extra; nam difficultas dispositionis compensatur fructu gratiæ; & obligatione sigilli; ergo si explicatio potest præcipi, etiam explicatio in Confessione.

Atque ut esset materia levis, inde ad summum sequeretur, tale præceptum non obligare sub peccato gravi. Deinde; ut notat Lugo disp. 15. n. 130. fortasse non parùm, sed multùm conducit ad profectum spirituales, habere curam & propositum efficacis extirpandi aliquod peccatum veniale, in quod homo solet cadere, quòd experientia ostendit in iis, qui frequenter venialia peccata confitentur.

Neque propterea Ecclesiæ mutaret substantiam Sacramenti, à Christo institutam; quoniam substantia est peccatum, non tantùm mortale

Objectio.

solvitur.

99.

An Ecclesiæ possit directe obligare ad Confessionem peccati venialis?

Verùs censeo.

quòd non.

100.

Sed contra eum arguitur, & respondetur ejus argumentis.

am non... potest... liber... videtur... at fra... à Deo... peccatis... Confessione... con... s... illa, de... Inno... pecc... debita... elligen... legumè... Gene... aliguo... atione... pecca... præ... Cle... amen... sunt... m est... idem... pete... tiatur... suffi... onem... pote...

97. Prima pars... 98. An Ecclesiæ... potest... peccati... venialis... 99. An Ecclesiæ... potest... obligare... ad Confessionem... peccati... venialis... 100. Sed contra... eum arguitur... & respondetur... ejus argum... mentis...



mortale, sed etiam veniale; quam utique substantiam mutaret Ecclesia, si illud quod est peccatum, declararet non esse materiam Confessionis, vel quod non est peccatum, declararet esse materiam; secus in casu proposito, in quo suo præcepto facit materiam necessariam, quæ aliàs erat sufficiens, sed libera. Sicuti suo præcepto facit panem azymum materiam necessariam consecrationis Corporis Christi pro Ecclesia Latina, quæ aliàs esset libera.

**101.** Respondetur, inquit Suarez supra n. 3. dissimilem esse rationem, quia in præsentis quædam materia est simpliciter necessaria de jure divino, scilicet peccatum mortale non confessum; & ideo quando talis materia reperitur, non potest Ecclesia aliam addere ut necessariam.

**Refutatur.** Sed contra; ex illo Antecedente solum sequitur, quod Ecclesia non possit facere, ut quando talis materia reperitur, non debeat, aut non possit confiteri, estò possit facere, & de facto faciat, ut panis fermentatus non debeat, nec licitè consecrari. Nonne aliqui docent, aquam vino miscendam ex solo præcepto Ecclesiæ, & tamen mixtam immediatè converti in Sanguinem Christi? Illi consequenter admittere debent, Ecclesiam posse facere aquam, materiam alioquin liberam ex institutione Christi, posse, inquam, facere aquam materiam necessariam consecrationis, tametsi sit alia materia simpliciter necessaria de jure divino.

**Ecclesia potest facere materiam liberam Sacramenti necessariam.** Fateor, illa mixtio est aliqua ceremonia facta, ut suo loco vidimus, quæ ratio non habet locum in Confessione venialium, sed quid tum? Saltem inde colligitur, existente aliâ rationabili causâ, Ecclesiam, materiam aliàs ex jure divino sufficientem, posse suo præcepto facere necessariam salvâ substantiâ Sacramenti. Constat autem ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. peccata venialia esse materiam sufficientem. An fortè existimas, qui vovisset Confessionem venialium, non teneri suo voto? Quod si homo privatus possit materiam liberam efficere necessariam, quidni idem possit Ecclesia?

**102.** Instas; in hoc Sacramento ex necessitate præcepti, sequitur necessitas Sacramenti scilicet ignorantia, quod non habet locum in Sacramento Eucharistiæ, quod subsistit, etsi aqua non fuerit admixta vino: ergo non debet Ecclesia præcipere aliquid ut necessarium ad integritatem hujus Sacramenti, quod per se necessarium non sit.

**Solvitur.** Respondeo; ad summum inde sequi, Ecclesiam non posse præcipere Confessionem venialium sub peccato mortali; alioquin si tantum præcepta sit sub peccato veniali, liquet, Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter subsistere, estò pœnitens non cõfiteatur peccata venialia.

Et dato, quod præciperet sub mortali, haud

equidem Confessio venialium erit de necessitate Sacramenti; quia adhuc pœnitens potest validè & licitè confiteri sola peccata mortalia, cum proposito confitendi suo tempore venialia; sin autem careat tali proposito, invalidè suscipitur Sacramentum, defectu propositi de cætero non peccandi, quod ex jure divino requiritur; veluti dum quis confitetur, cum proposito non audiendi Missam diebus Dominicis & Festivis; quamquam illa auditio non sit nisi juris Ecclesiastici, nihilominus Sacramentum jure divino est invalidum, defectu propositi de cætero non peccandi.

**Urges;** hoc Sacramentum per se primò ordinatur ad remissionem culpæ: ergo illa culpa, ad cujus remissionem non est necessarium hoc Sacramentum, non potest fieri materia necessaria ejus.

**Respon.** distinguendo Consequens; non debet potest fieri materia necessaria, ita ut sine illa non possit unquam ministrari hoc Sacramentum, concedo totum: non potest fieri materia necessaria, id est, quæ hic & nunc debeat remitti virtute hujus Sacramenti, negatur Conseq.

**Instantia** in Sacramento Extremæ Unctionis, quod saltem secundariò ordinatur ad remissionem culpæ venialis; & quamvis ex jure divino non sit necessarium, equidem necessarium fieri potest ex præcepto Ecclesiæ. Ergo consimiliter, licet Confessio venialium non sit necessaria ad remissionem venialium ex præcepto divino; nihilominus fieri potest necessaria ex præcepto Ecclesiæ.

**Quidni** etiam sub gravi obligatione, si videlicet causa præcepti fuerit proportionata? An autem possit dari causa proportionata, fortè quod sic; si non pro universali Ecclesia, saltem pro aliqua particulari Religione, quæ videlicet Confessio venialium potest esse exercitium, oppidò necessarium conservanda disciplina Monastica; si enim ex usu Religionis nemo confiteretur, nisi confitens peccata mortalia, nemo veller confiteri, ne se prodere; ideo ne talis contemptus invalescat, ipsa Confessio facienda, in talibus circumstantiis est materia gravis. Ita docet Hiquerus in suo Comment. 4. dist. 17. n. 87.

**Atque** hæc potestate Ecclesiam de facto usum fuisse Clement. Ne in agro Dominico, de Statu Monachorum, docet idem Auct. nu. 86. Subseribo verba Clementiæ: *Ne in agro Dominico, sacro videlicet Monachorum agrorum (id est, Benedictinorum) Religione, in locorum aliquid obrepit, aut vitiosum quicquam perniciosè in segetem coalescat, sed ut in illa potius flores honoris, & honestatis fructus in ubertate succrescant in eis &c.* En causa Constitutionis.

Sequitur Constitutio: *Sane singulis mensibus*



nam in Monasteriis, quam extra (sublatâ occasione quâcumque) ad Confessionem semel accedant omnes & singuli Monachi. Et in prima Dominica mensis cuiuslibet in Monasteriis semper communi- cent: nisi ex causa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarii Monasterii non differant intima- re, eorumq; iudicio vel abstineant, vel accedant.

An hæc Constitutio sit obligans, idque sub mortali, plurimum dependet ab usu, quem optimè norunt Benedictini. Hoc solum noto, nullam fieri mentionem peccatorum venia- lium, & ideo Glossa verb. Mensibus. videtur intelligere Confessionem peccatorum mortali- um, dicens: *Arctantur ergo Monachi singulis men- sibus, ad quod fideles arctantur singulis annis de Pœ- nit. & Remiss.* Omnis. propter Religionis enim per- fectiorem aliquid debent ad pensum sanctæ institutio- nis adire. Sed fideles non arctantur singulis annis ad Confessionem peccatorum venialium; ergo nec Monachi singulis mensibus.

Respondet Dicastillo disp. 7. n. 115. in ea Clementina non præcipitur Monachis confiteri omnia peccata, sed quod confiteantur, etiam si non sint mortalia, ac proinde ibi est sermo etiam de venialibus. Accedit, quod illud præceptum impositum fuit Religiosis viris, & quidem sanctissimæ Religionis. Quapropter verisimile non est, præsumpsisse Pontificem, illos singulis mensibus mortaliter pec- caturus. Ulterius, ibi Pontifex intendit re- formare Religionem illam, atque ad hoc maxi- mè conducebat confiteri singulis mensibus, ut cautius & perfectius viverent Religiosi; non esset autem reformatio, sed relaxatio potius, aut certè nimia indulgentia, si tantum post commissum mortale singulis mensibus ad Confessionem obligarentur. Hæc ille.

Sed contra primum; est petitio principii, nisi in ea Clementina legantur illa verba: *Etiamsi non sint mortalia*, quæ ibi legisse Dica- stillonem non credo, quia non sunt.

Ad secundum Resp. Pontificem, quia Be- nedictini erant viri Religiosi, & quidem sanctissimæ Religionis, ideo aliquid ipsis præce- pisse ultra pensum sanctæ institutionis Conc. Generalis Lateranensis. Nec propterea debuit præsumere illos singulis mensibus mortaliter peccaturos; sed fieri posse, ut peccent.

Ex quo patet, illam Constitutionem non esse relaxationem, aut nimiam indulgentiam, cum ante illam tantum semel in anno obliga- rentur confiteri sua peccata mortalia; & sic responsum est ad tertium.

Interim persuadeo mihi, intentum Pontifi- cis fuisse, ut omnes & singuli Monachi semel confiterentur singulis mensibus sive mortalia, sive venialia, etiam unum tantum veniale. An autem voluerit obligare ad illam Confessio- nem sub mortali, ex verbis legis non constat; quia tamen etiam non constat contrarium, si materia gravis sit (prout aliqui existimant,

& probant exemplo voti, quod in illa materia graviter obligaret, exemplo sumptionis Eu- charistiae, auditionis Missæ &c.) & supposito, quod illa Constitutio, utpote contenta in Cor- pore Juris, non sequatur regulas aliarum Con- stitutionum illius Religionis, quæ fortassis non obligant sub peccato; liquet profectò ob- ligatio sub mortali. Sicut antè dixi; maxi- mè attendenda est consuetudo, & communis intellectus illius Religionis.

Et sanè non desunt Auctores apud Dianam p. 3. tr. 4. resol. 125. qui docent, non obligari Re- ligiosos sub mortali, si habeant tantum peccata venialia. Immo etiam si haberet mortalia. Inter cæteros Villalobos in Sum. to. 1. tr. 9. diff. 28. n. 5. sic ait: *Monachi Benedictini habent præ- ceptum in una Clementina de confitendo sin- gulis vicibus, quibus habent conscientiam pec- cati mortalis; quod præceptum extendit se etiam ad alios, & solum obligat sub peccato veniali, ut dicit Henriquez l. 1. c. 4. n. 10. post alios; sed mihi videtur quod non est in usu, nisi de confitendo suo tempore. Hæc ille.*

Sed fallitur in eo, quod dicit, esse confiten- dum singulis vicibus (nisi fortè sit error typo- graphi) nam ut patet ex verbis Clementinæ supra relatis, loquitur Pontifex de singulis mensibus, quæ sunt valde distincta. Præterea; quod illud præceptum se extendat etiam ad alios Monachos, non credo esse verum, quid- quid dicat Henriquez supra; cum reliqua præ- cepta ferè omnia illius Clementinæ solos con- cernant Benedictinos, ut nimis clarum est in- spicienti textum.

Nec obstat; quod hoc præceptum possit esse commune omnibus Religiosis, & eadem in omnibus militet ratio, scilicet major perfectio statûs Religiosi, quia à paritate rationis non va- let argumentum in positivis, nisi ad evitandum absurdum. Potuit autem Pontifex rationabili- ter obligare solos Benedictinos ad Confessio- nem mensuralem, sicut soli Cistercienses obligã- tur ad tertio confitendû in anno suo Superiori.

Porro quod ait Henriquez supra, Regulares ex consuetudine obligari, ut aliquod ex venia- libus peccatis fateantur semel in mense, aut ex aliis peccatis, à quibus iterum fuerunt absoluti, manifestè falsum est; licet enim etiam sæpius in mense confiteantur peccata venialia, equi- dem nullas apprehendit obligationem, etiam sub veniali, vel semel confitendi, ut uniuersu- jusque conscientia potest testari.

Illud quasi pro coronide ad calcè hujus Con- clusionis addiderim; Arriagam disp. 52. n. 36. valde probabile iudicare, Ecclesiam non posse præcipere Confessionem peccatorû venialium purè interiorum; quia, inquit, licet Confessio illorum peccatorum esset actio exterior, pende- ret tamen necessariò & essentialiter ab existètia illorum actuum interiorum, de quibus Ecclesia non potest iudicare; & quidem ita penderet, ut non

Muti Ab- dotes apud Dianam do- cent abso- lute non obligare sub mortali. Villalobos.

Henriquez. 108. An extendi debeat ad alios Moe nachos.

109. An Ecclesia possit præ- cipere Conf- essionem venialium purè inter- noram?

Negat Ar- riaz.



ut non nisi facta ea suppositione posset habere locum Ecclesiae praeceptum. Non videtur autem, posse subjacere Ecclesiae eam actionem, quae nequit fieri nisi supposita alia actione, de qua judicare non valet ipsa Ecclesia; nam si de fundamento non potest judicare, profecto nec de aedificio superimponendo. Hac ille.

& solvit objectionem,

Cui si objicias; Ecclesia potest precipere actus internos indirecte. Respondet id ita intelligendum, ut internus praecipatur tamquam connexus cum externo; hoc est, ut externus ad hoc ut sit honestus seu licitus, nullam habeat dependentiam ab interiori; sed potius e contrario, ex eorum sequatur obligatio ponendi interiorum; ut cum praecipit Ecclesia exteriorum auditionem Sacri v. g. & Officium divinum, praecipit consequenter interiorum attentionem. Non se habet sic Confessio venialium; quia ea non obligat ad venialia committenda; hoc enim repugnat; sed supponit jam commissa; & nisi commissa sint, non habet locum obligatio; ergo cum Ecclesia non possit de ea suppositione quidquam scire juridice, profecto nec poterit imperare juridice eam Confessionem. Haec tenus Arriaga.

110. Contis solutionem arguit Auctori.

Sed contra primo; neque Ecclesia quidquam juridice scire potest de peccatis per accidens occultis; ergo nec poterit imperare juridice Confessionem illorum peccatorum. Secundò, Confessio mortalium non obligat ad mortalia committenda; sed supponit jam commissa; & nisi jam commissa sint, non habet locum obligatio; ergo cum Ecclesia non possit quidquam juridice scire de peccatis mortalibus merè internis, nec poterit imperare juridice eorum Confessionem, quod an verum sit, haud difficile cognoscere ex dictis concl. 4.

Tertiò, etiam in casu proposito ex externo actu sequitur obligatio ponendi interiorum, id est, explicandi interiorum, nam praescribitur Sacramentum Penitentiae, & per consequens omnia necessaria ad illud Sacramentum ritè suscipiendum, ut est necessaria explicatio actus interioris, quando non adest actus exterior, qui possit esse materia sufficiens Sacramenti. Sin autem ad sit peccatum veniale externum, puto Confessionem venialis merè interni non posse praecipere ab Ecclesia; cum tunc Sacramentum possit recipi validè & fructuose, etiam voluntariè omisa illa Confessione.

111. Diversitas inter Confessionem mortalis interni, & venialis interni.

Ex quo confestim apparet diversitas inter Confessionem peccati mortalis interni, & venialis interni, quòd videlicet illa Confessio de jure divino sit necessaria ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum; ideoque non mirum, si ab Ecclesia compraeceptatur; haec autem cum sit omnino libera, potius directè praecipetur, quàm compraeceptetur. Atque haec sufficiant de controversia potius speculativa, quàm practica, cum peccata venialia externa numquam desint.

Quaestio magis utilis est; an qui post Confessionem alicujus peccati mortalis, iterum peccat mortaliter, teneatur eodem anno rursus confiteri. Similiter si recedat mortaliter oblitus, aut ex justa causa fecit Confessionem non integram materialiter. Respondeo;

CONCLUSIO VII.

Reincidens in mortale, aut inculpabiliter aliquod omittens, non tenetur eodem anno ad secundam Confessionem. Fortè excipiendus casus, si tacuit reletvatum ob defectum potestatis in Confessario.

Suppono; praeceptum Confessionis annuatim per se & ex vi sua non obligare pro determinata parte anni; sed illi satisfieri posse quocumque tempore anni; sicuti satisfieri potest praecepto audiendi Missam diebus Dominicis & Festivis quacumque hora diei. Fundamentum defumitur ex cap. Omnis utriusque sexus, quod licet praeceptum Eucharistiae limitet ad tempus Paschae dicens: Suscipiens reverenti ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum; eodem tempore Confessionis indefinite posuit sub hac forma verborum: Semel in anno.

Variae rationes congruentiae assignat Superiorius disp. 36. sect. 3. n. 3. unica sufficiat; quia usus Sacramenti Penitentiae non praecipitur nisi supposita culpa mortali, & in remedium ejus; expedit autem, ut illud remedium non differatur, sed illic post peccatum commissum applicetur; cum ergo tempus peccati mortalis incertum sit, planè conveniens erat, ut etiam tempus praecipi Confessionis incertum foret, ne fortè si obligaret praecise pro tempore Paschae, daretur occasio peccatoribus usque ad illud differendi Confessionem. Praeterea cum ratione praecipi Eucharistiae foret obligatio, est per accidens, in Paschate confitendi. Ergo praeceptum per se confitendi non debet ad illud, vel aliud tempus determinari.

Nec huic doctrinae repugnat Scotus 4. dist. 17. n. 28 ubi sic ait: Quando, Quando, Ecclesia determinavit praeceptum, scilicet semel in anno, & illud semel videtur ad minus esse semel in Pascha, quo tempore secundum illud capitulum debet quilibet Christianus communicare, nisi in casu. Ubi videtur Doctor ly Semel in anno restringere ad tempus Paschae.

Sed contrarium patet ex hoc, quod paulò post subjicit: Illud, Quando, ante specificationem Ecclesiae fuit indeterminatum ad quocumque, Quando, ante mortem, sed post specificationem est indeter-

Sec. 6. De Præcepto Eccles. Confess. Concl. 7. 581

minatum ad quodcumque, Quando, unicuique in anno. Quid clarius? Quando ergo supra dicit: Illud, Semel, videtur ad minus esse in Pascha, solum vult, Confessionem non posse differri ultra Pascha, ex hypothese, quod Pascha sit terminus anni, potissimum cum tunc urgeat præceptum Communionis, ratione cuius per accidens tenetur confiteri, si habeat aliquod peccatum mortale.

Et hinc orta consuetudo fidelium confitendi circa festum Paschatis; tamen etiam non habeant aliquod peccatum mortale, sed dumtaxat venialia; ut tanto purius & dignius suscipiant sanctissimum & dignissimum Eucharistia Sacramentum. Quam consuetudinem summopere laudat Concilium Trid. sess. 14. c. 5. in fine dicens: In universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimo; quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur.

Numquid tamquam obligatorium? Minime, sed, tamquam pium, & merito retinendum contra Hæreticos, qui suadebant Christi fidelibus, ut non confiterentur tempore Quadragesimæ, causantes Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam.

Hunc esse genuinum sensum istorum verborum, liquet ex canone 8. ejusdem sess. sequentis tenoris: Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam; nisi ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, iuxta magni Concilii Lateran. constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

Hoc ergo supposito, nempe, quod possit huic præcepto satisfieri quocumque anni tempore; quaestio est, an qui in principio anni confessus est aliquod peccatum mortale illius anni, & reincidit in idem, vel aliud peccatum mortale, teneatur rursum illud peccatum, in quod reincidit, confiteri; non per accidens ratione Communionis; sed per se, ratione præcepti Confessionis annuae.

Negat prima pars Conclusionis, fundata in verbis legis, accedente communi Doctorum interpretatione, paucis contradicentibus. Verba autem legis sunt hæc: Omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur, id est, omnia sua peccata, commissa usque ad horam Confessionis, quibus, post diligens examen, se Dominum; & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Quæ interpretatio, si vera est, veritas Conclusionis per se manifesta est & evidens; nam in casu proposito poenitens confitetur semel in anno omnia peccata, commissa usque ad horam Confessionis; quibus post diligens examen, se Dominum &

Deum suum mortaliter offendisse meminerit: ergo satisfacit per illam Confessionem præcepto annuæ Confessionis.

Quidni satisfaceret, cum satisfaciat præcepto divino? Constat, inquit Tridentinum sess. 14. c. 5. nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia suæ finis omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.

Planè, inquis, conitat; & quia constat, ideo si hodie confessus omnia sua peccata mortalia, cras reincidat; vel hodie meminerit alicujus peccati mortalis; cujus heri, quando confitebatur, non meminerat; tenetur jure divino rursum confiteri illud peccatum mortale, à quo heri nullo modo, vel saltem non directè fuit absolutus. Si jure divino, ergo etiam jure Ecclesiastico, quod non est nisi determinatio juris divini.

Distinguo ultimum Consequens, ergo etiam jure Ecclesiastico hoc anno, nego Consequentiam; anno sequenti, concedo totum. Quamquam enim talis non satisfacere præcepto Christi, in ordine ad illa peccata simpliciter & ex toto, id est, pro tota vita; tamen satisfacit pro illo tempore, quod ab Ecclesia determinatum est. Quippe cum præceptum divinum Confessionis sit affirmativum, non obligat pro semper; sed vel tunc, quando postea non possit amplius impleri, vel semel pro singulis annis; jam autem poenitens in utroque casu Conclusionis, semel in hoc anno satisfacit præcepto divino Confessionis, ut nemo potest negare.

Interim prima pars Conclusionis displicet Suariorum disp. 36. sect. 3. n. 9. ubi docet, etiam si aliquis intrà annum sæpius fuisset confessus, si tamen tempore Quadragesimæ habet conscientiam novi peccati mortalis, numquam confessi, teneri nihilominus ad confitendum illo anno pro eo tempore. Probat primò ex aliquo inconvenienti; puta, quod alioquin fieri posset, quod quis ferè per duos annos abstineret à Confessione sine violatione hujus præcepti; de quo dicam Conclusionem sequenti.

Probat II. ex textu cap. Omnis utriusque sexus; præcipit enim confiteri in anno semel omnia peccata mortalia, illo anno commissa. Sed hoc est, quod quaeritur, & tam facile negatur, quam affirmatur; quandoquidem illa verba: Illo anno commissa, in textu non exprimentur.

Probat III. ex consuetudine Ecclesie; nullus enim contentus est Confessione priori tempore facta, si in Paschate habeat conscientiam peccati mortalis; & Pastores Ecclesie eo tempore cogunt ad Confessionem. Nec consuetudo hæc videtur solum ostendere obligationem per accidens, sed etiam per se; tum quia non tantum qui communicaturi sunt, sed

D d d d ; ceteri

Con. Trid.

116. Objecti.

Solutio.

117.

Prima pars Concl. displicet Suariorum.

Oppositum

Probat 1.

Probat 2.

sed petit principium.

118.

Probat 3.

I. inculc. s, non recun. ex-refer. stitatis

annua detet. se quo i potest. damen. e sexus. iterac. equi. uit sub.

capitur. edium. m non. miffum.

ortalis. etiam. foret. re Pa. ue ad. m dñ. igatio. Ergo. bar ad.

dist. Ecclesie. no, & aschis. quilibet. idetur. mpus. pauld. niam. Quan. deter. natum.

cæteri etiam homines censentur teneri hæc obligatione; tum etiam, quia ipsimet, qui sunt communicaturi, timent violationem hujus præcepti; & non solum ex obligatione communicandi, sed etiam ex vi hujus præcepti putant se ad Confessionem teneri.

**Responsio.** Respondeo ut prius; hæc omnia gratis asseri; neque enim puto quemquam horum, qui communicaturi erant, & eodem anno confessi fuerant peccatum aliquod mortale, suum timorem Suario significasse. Deinde cum pauci sint præter pueros, qui excusentur à Communionem, unde sciri potest, eos, qui communicant, præmittere Confessionem, tamquam per se debitam ex præcepto annuo Confessionis? Ut quid multiplicare obligationes sine necessitate? Omitto consuetudinem sæpe oriri ex ignorantia, & ideo raro per illam præcisè, forte numquam induci legem; cum si homines scirent, se aliunde non obligari, nolent per suam consuetudinem obligationem inducere.

Quod autem Pastores eo tempore cogant ad Confessionem, ratio est; tum quia urget præceptum Communionis, tum quia non constat ipsis, quod antea impleverint præceptum Confessionis, aut postea impleturi sint.

**119. Probat 4.** Minoris momenti est quarta ejus probatio: Si quis, inquit, per magnam partem anni non haberet conscientiam peccati mortalis, & sæpius esset confessus de venialibus & prope Quadragesimam peccaret mortaliter, obligaretur sine dubio ad Confessionem faciendam intra Quadragesimam; quia numquam confessus est peccata mortalia illo anno, cum tamen illa habeat; cur ergo non eodem modo obligabitur, etiam si antea peccasset mortaliter, & confessus esset?

**Responsio.** Respondeo; quia qui antea confessus est peccata mortalia, jam implevit illo anno præceptum divinum; ergo non est quod iterum impleat, sed qui solum est confessus peccata venialia. Igitur propter has rationes Suarii non est recedendum à communi sententia, quam & ipse judicat probabilem n. 11. licet contrariam existimet securiorem, sicut indubie est; utpote in qua nullum est periculum transgressionis alicujus præcepti. Atque hæc de prima parte Conclusionis.

**120. Secundam partem Concl. tenet nobiscum Suarius sup. sect. 4. n. 6. si ve intelligas eam de peccatis oblitis, si ve de peccatis cognitis, ex justa causa prætermisissis. Et rationem disparitatis assignat n. 8. in primis consuetudinem, quæ, ut ipse putat, vires obtinuit respectu peccatorum, quæ post aliquam Confessionem intra annum habitam commissa sunt; non verò circa peccata oblita, vel ex justa causa prætermisissis. Sed id gratis dictum, cum homines non minus solliciti sint de confitendis his peccatis in Paschate, quam de illis.**

sed gratis.

Deinde recurrit ad intentionem præcepti: præcipit enim ut Confessio fiat de toto anni peccatis tempore quantum moraliter possit: ille verò qui per se & ex intentione sua omnia confitetur, & ex occasione vel oblivione aliquid omittit, reverà quantum est in se extendit Confessionem suam ad totum annum, & ideo totum præceptum implet. At verò qui per se & directè tantum confitetur de actibus, factis in una parte anni; si in alia parte habeat peccatum, nullo modo implevit totum præceptum; quia illa Confessio nullo modo relata est ad illam partem illius anni. Ita Suarez.

Verum de toto anni tempore nulla mentio est in verbis præcepti; adeoque eadem facilitate negatur illa intentio (quæ colligenda foret ex verbis) quæ asseritur. Neque ille, qui ex oblivione, vel alia occasione aliquid omittit, quantum est in se extendit suam Confessionem ad totum annum; quia, ut suppono, in alia parte anni potest confiteri peccata oblita, vel ex occasione omisissis; ergo tenetur confiteri, si verum est, quod præcipitur multiplex Confessio, quando necessaria est ad omnia peccata illius anni explicanda.

Denique, inquit Suarez, est ratio in veritate; quia peccata oblita (& eadem est ratio eorum, quæ ex occasione omittuntur aliquo modo continentur in illa Confessione, saltem in confusio, & per illam tolluntur, saltem indirectè; at verò peccata postea commissa, nullo modo tolli possunt per præcedentem Confessionem, & ideo non est eadem ratio.

Fateor quoad hoc non esse eandem rationem; sed illa diversitas impertinens est ad propositum, quandoquidem præcipitur Confessio cum Absolutione directè peccatorum; alioquin nec anno sequenti foret obligatio, illa peccata oblita, aut ex occasione omisissis confitendi, quod constat esse falsum.

Sotus dist. 18. q. 2. a. 5. ante solutionem 4. argumenti distinguit inter peccata oblita, & inter peccata ex occasione omisissis; & hæc putat eodem anno debere confiteri, factis illa. Rationem disparitatis assignat; quoniam ille (qui oblitus fuit) legitime confessus est omnia, quorum memoriam habet iuxta tenorem Florentini Concilii; hic verò (qui aliqua ex occasione omisit) non est omnia confessus, quare, sublato impedimento, tenetur, habita opportunitate, illa confiteri. Hæc Sotus.

Hanc sententiam putat probabiliorum Arias de riga disp. 52. n. 57. quia, inquit, obligatio præcepti divini est de omnibus, quæ occurrunt memoria; de his enim quæ non occurrunt, non potest esse præceptum propriè, quia ad impossibile nemo tenetur, impossibile autem est confiteri ea, quæ quis ignorat; unde fit, ut qui dixit omnia, quæ occurrunt, satisfecerit absolute & propriè præcepto, alter verò qui ex his, quæ occurrerunt, non est aliquid con-

felus, non satisfacit ex integro; licet ergo exculatus fuerit in ea Confessione ab eo dicendo, non tamen exculabitur à dicendo illo intra eundem annum, si habeat commoditatem, uti qui nullum aliud mortale haberet præter illud, quod potest reticere, & non confiteretur, nisi de solis venialibus, non satisfaceret præcepto, excularetur tamen; ergo et si confiteatur alia mortalia non satisfacit ex integro, licet excusetur; cum primum igitur cessat impedimentum, tenebitur satisfacere. Hucusque Arriaga.

Respondeo; Regula 6. Juris de Reg. Juris in 6. Nemo potest ad impossibile obligari, intelligitur non solum de impossibili physice, sed etiam de impossibili moraliter, hoc est, valde difficili; igitur Christus sicut noluit obligare ad Confessionem eorum, quæ non occurrunt memoriæ, pro illo tempore, quo non occurrunt; quia physice impossibile est confiteri ea, quæ quis ignorat: ita quoque noluit obligare ad Confessionem eorum, quæ ex justa causa omittuntur, quia moraliter impossibile est ea confiteri; unde fit, ut qui dixit omnia, quæ moraliter poterat dicere, satisfecerit absolute & proprie præcepto.

Ex quo patet responso ad simile; nam qui habens aliquod peccatum mortale, confessus fuit de solis venialibus, eò quod posset istud mortale reticere, nullatenus satisfacit præcepto divino, quod, etiam tali casu, non obligat ad Confessionem venialium; sicuti in nostro casu obligat ad Confessionem illius mortalis, cujus reticendi nulla subest justa causa.

Dices; ergo etiam non tenebitur ad iteratam Confessionem, qui confessus est peccatum mortale, estò tacuerit aliquod reservatum defectu potestatis in Confessario, quod est contra ultimam partem Conclusionis.

Respondeo neg. Conf. Ratio disparitatis est, quod hic non fit confessus proprio Sacerdoti, quod tamen requiritur à Concilio Lateran. Omnis utriusque sexus. ibi: *Confiteatur proprio Sacerdoti.*

Pro quo sciendum, quis, in ordine ad satisfaciendum huic præcepto, dici debeat proprius Sacerdos. Scotus 4. dist. 17. n. 26. *Quantum*, inquit, ad, Cui, videtur specificare (Ecclesia præceptum divinum Confessionis) per hoc quod ait: *Proprio Sacerdoti; nam ex prima institutione Ecclesie non videntur fuisse distincti proprii Sacerdotes; quando enim Apostoli hinc & inde ibant predicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec illius, & nec iste, nec ille, sed post sunt Dioceses distinctæ & Parochie, & Sacerdotes in Parochiis; & pro tunc tamen possunt & poterant dici proprii Sacerdotes, quicumque habentes iurisdictionem ordinariam, vel commissam; vel soli habentes iurisdictionem ordinariam contra commissarios; vel strictissime soli habentes immediatam iurisdictionem & proximam ordinariam. Et secundum*

hos intellectus possunt fieri alterationes hodie inter ordinarios & commissarios de intellectu illius Capituli: siquidem Ordinarii, & proximi, & inferiores non alterantur contra Superiores, ut ipsi soli sint proprii, & non alii; non enim ita factus est Curati resistere Episcopis, sicut pauperibus privilegiatis. Ecce status controversiæ.

Si autem (prosequitur Doctor) ponderetur virtus vocabuli, Proprio Sacerdoti, proprius qui solus & non alius, vel proprius istis, quia istis, & non alii; neutro modo obligatur aliquis ad confitendum proprio Sacerdoti: quia si multi ex equo præsumunt alicui parochiano, uterque ex equo absolvit; idem etiam ex equo absolvit multos parochianos. Igitur intelligitur pro habente iurisdictionem ad immediatam absolvendum ipsum.

Nec in hoc tunc specificatur præceptum, quia in generali erat de, Cui, scilicet Sacerdoti habenti iurisdictionem. Et si aliquis posset committere illam immediatam iurisdictionem uni, quam alius habet ordinariè, quod ipsi non negant Papam posse: igitur secundum istum intellectum commissarius potest fieri proprius. Non itaq; illud Proprio Sacerdoti specificat, Cui, ut includitur in præcepto primo (id est divino) nisi dicatur, quod in primitiva Ecclesia qui ibet Sacerdos habuit iurisdictionem supra quemlibet penitentem; & nunc singulis sum determinati singuli penitentes ut subditi, & tunc quilibet erat proprius cuiuslibet, hoc modo, scilicet quod habens iurisdictionem ordinariam super quemlibet; sed non proprius, id est, determinatus sibi, vel Parochie suæ, sicut modo est proprius: sed illa proprietates nullam potestatem specialem tribuit proprio, quam non habuisset ille, sed tantum limitat aliquos aliquibus. Hucusque Doctor Subtilis.

Ubi satis innotet, proprium Sacerdotem esse omnem illum & solum, qui habet potestatem ordinariam vel delegatam ad absolvendum directe penitentem ab omnibus suis peccatis, sive is sit Parochus, sive Confessor alius Regularis, qui ex privilegio habet illam potestatem.

Igitur in casu Conclusionis penitens nondum satisfacit præcepto Ecclesie, quia non est confessus proprio Sacerdoti, id est, illi Sacerdoti, qui habebat potestatem ipsum absolvendi ab omnibus commissis. Quid ergo miramur, si eodem anno teneatur confiteri peccata reservata Prælato, vel alii habenti legitimam iurisdictionem?

Respondet Herinx part. 4. tract. 4. disp. 3. quæst. 8. n. 105. (ubi tenet oppositum) sufficit quod Sacerdos fit proprius respectu omnium, quæ hic & nunc debent exprimi, ut impleatur præceptum juris divini determinativum.

Sed contra; quod hic & nunc non debeant exprimi peccata reservata est, quia Confessio non fit proprio Sacerdoti; ergo talis penitens simpliciter & absolute non confitetur proprio Sacerdoti, quod tamen requiritur ab Ecclesia.

127. Proprius Sacerdos in rigore significat solum Parochum. Sumitur tamen pro quocumque habente iurisdictionem ad immediatam absolvendam.

128. Probatur 4. pars Conclusionis.

Responsio Herinx, qui docet oppositum.

Rejicitur.

Si

129.  
Obiectio.

Si inferas; ergo qui haberet peccatum reservatum, & integro anno non haberet copiam Prælati, vel alterius habentis ejus jurisdictionem, non teneretur illo anno confiteri, tamen haberet peccata mortalia non reervata.

Solvitur.

Respondeo Conc. totum, præcisè ex vi præcepti Ecclesiastici annuæ Confessionis. Ratio est manifesta; quia tamen veli non potest præceptum adimplere; quippe, ut supponitur, non potest confiteri proprio Sacerdoti.

Adde; *Præcisè ex vi præcepti* &c. quia disp. 4. sect. 10. concl. 5. ut certum suppolui, habentem peccatum reservatum, & aliud mortale non reservatum, teneri ante Communionem confiteri inferiori, ex hypothesi, quòd possit dimidiare Confessionem, confitendo solum peccatum non reservatum. Cur autem teneatur confiteri non reservatum vi præcepti præmittendi Confessionem Communioni, & non vi præcepti annuæ Confessionis, ratio à priori est voluntas legislatoris, quæ constat ex verbis utriusque legis.

Canc. Trid.

*Ecclesiastica consuetudo*, inquit Trid. sess. 13. c. 7. declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullas sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, abque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Non ait: præmissa sacramentali Confessione omnium peccatorum, facta proprio Sacerdoti; sed simpliciter: *Præmissa sacramentali Confessione*, nullà factà mentione omnium peccatorum, aut, proprii Sacerdotis. At verò cap. *Omnis utriusque sexus*, non sic loquitur Ecclesia, sed: *Omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*, id est, Sacerdoti, qui habet potestatem directè absolvendi ab omnibus peccatis, pro tunc, quando confitetur, commissis, estò aliqua vel per oblivionem, vel alià occasione non confiteatur.

130.  
Sententia  
Henrici est  
probabilis,  
& videtur  
conformior  
Scoto,

Interim oppositum, scilicet satisfecisse præcepto Ecclesiæ, qui confessus fuisset peccatum mortale non reservatum, omisso reservato, ob defectum potestatis in Confessario, etiam est probabile, & videtur magis conforme Scoto supra; ubi videtur docere, Ecclesiam non specificasse præceptum divinum quantum ad *Cui*; specificasset autem si in tali casu penitens non posset satisfacere præcepto Ecclesiæ, cum reverà satisfaciat præcepto divino.

Et verò, quia non satisfaciat præcepto divino, qui sola confitetur venialia, ut supra diximus, hinc etiam non satisfaciat præcepto Ecclesiastico, tamen vel ignorantia vel alià occasione omittat peccatum mortale, quod alioquin commisit, & ratione cujus jure divino, & per consequens jure Ecclesiastico, teneretur confiteri.

Haud inficior fieri posse, ut quis tali casu teneatur confiteri peccata venialia, v. g. si urgeat præceptum Communionis, & non

possit elicere Contritionem charitate perfectam; sed dico, equidem non satisfacere præcepto annuæ Confessionis; quia non satisfaciat præcepto divino per se Confessionis, sed tantum præcepto divino dignè communicandi.

Nec valet hoc argumentum: Qui ignorans esse diem festum audit Sacrum, ita implet præceptum, ut cognita obligatione non teneatur audire aliud Sacrum; ergo similiter, qui ignorans se habere peccatum mortale, adedque ignorans obligationem confitendi, nihilominus confitetur peccata venialia, ita implet præceptum, ut cognita obligatione non teneatur illo anno rursus confiteri.

Non valet, inquam, hæc consequentia, quia in priori casu ponitur substantia præcepti, scilicet auditio Missæ; in posteriori vero casu non ponitur substantia præcepti, puta Confessio necessaria ex jure divino, id est, Confessio alicujus peccati mortalis, numquam directè absoluti; quid ergo mirabile, si iterato non debeat audire Sacrum, quod semel audivit; hic autem teneatur confiteri peccatum mortale, quod nunquam confessus fuit.

Cæterum pro clariori intelligentia eorum, quæ hæc Conclusione discussa sunt, non abs re erit investigare, quomodo debeat annus computari quoad hoc præceptum. Mea sententia est:

## CONCLUSIO VIII.

Annus quoad præceptum Ecclesiasticum confitendi, computandus est juxta communem significationem, à prima die Januarii, usque ad ultimam Decembris.

Ratio fundamentalis est; quia verba legis accipienda sunt sicuti sonant, nisi aliquid obstat; hic autem nihil obstat; ergo &c.

Respondent Adversarii, illam computationem esse polliticam, non Ecclesiasticam, quod colligunt ex praxi Ecclesiæ, quæ solet in Paschate Confessionem, & Communionem exigere ut debitam. Item ex verbis legis *Saltem*, &c. *Ad minus in Paschate*. Ac si diceretur; *legit Horas Canonicas, saltem horà undecimâ noctis*, quia tunc instat terminus temporis, quo currit obligatio.

Tertiò objiciunt; ex illa computatione sequi maximum inconveniens, utputà posse Confessionem differri ferè per duos annos, si quis confiteatur v. g. primâ Januarii anni sexagesimi tertii, & postea ultimâ Decembris anni sexagesimi quarti. Ergo, inferunt, annus computandus est à Paschate usque ad Pascha.

Sed

133. Sed contra primum; gratis asseritur Ecclesiam exigere Confessionem in Paschate, ut debitam præcisè ex vi præcepti annuæ Confessionis, sed exigit illam ex vi præcepti dignè communicandi; vel certè non exigit ut debitam, sed tamquam omnino consentaneam susceptioni tanti Sacramenti, & præmittendam, etiam ab illis, qui alioquin satisfecerunt præcepto Confessionis annuæ, & nunc solum habent peccata venialia; aut, si mavis, exigit illam ut debitam isto tempore vi præcepti Confessionis; quia ignorat, & scire non potest, an alio tempore fideles satisfecerint, aut satisfaciant præcepto. Vide quæ de hac re diximus Conclusionè præced. in principio.

134. Si ergo quandoque Parochi denuncient illos, qui tunc non confitentur; haud equidem propter violationem præcepti Confessionis annuæ, sed propter violationem præcepti Communions Paschalis; vel ostendatur, ubi aliquando fuerit denunciatus, qui in Paschate communicaverat, præcisè quia non fuerat confessus.

Atque de hac obligatione per accidens plures Auctores intelligunt, quod ait Sixtus IV. Extravag. de Treucha & pace cap. 2. Mendicantes desistant predicare, quod Parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: quia de iure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.

135. Sed hic intellectus non est mihi adeo clarus, cum Pontifex alleget jus commune, scilicet cap. Omnis utriusque sexus, in quo non agitur de obligatione per accidens, quando dicitur: Confiteatur proprio Sacerdoti, sed de obligatione per se. Unde non possum negare quin hæc verba Sixti IV. multum favent contrariæ sententiæ, quæ existimat, esse obligationem confitendi tempore Paschatis, eo modo, quo est obligatio communicandi; etsi alioquin alio tempore anni fideles satisfecerint præcepto annuæ Confessionis.

Et ideo dico, fortè tempore Sixti IV. fuisse talem obligationem, ipso ita interpretante jus commune, citra proprietatem verborum, ad evitandas discordias, quæ tunc temporis erant inter Parochos, & Mendicantes, utriusque parti aliquid concedendo; nam sequitur: *Per hoc tamen ipsi fratres Mendicantes non censentur exclusi, quò minus secundum iuris communis, & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, Confessiones audire, & Penitentias iniungere valeant.*

Porro successu temporis, pace jam composita, per usum & praxim contrariam hæc obligatio videtur extincta; cum passim omnes, etiam in Paschate, confiteantur Mendicantibus, absque scrupulo alicujus obligationis confitendi Parocho, de quo plura proprio loco.

Minoris ponderis est, quod Adversarii allegant ex Concilio Agathensi c. 15. & refertur dist. 50. cap. 64. in capite Quadragesimæ omnes penitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt Penitentiam, ante fores Ecclesie se representent Episcopo civitatis &c. Quid enim clarius, quàm Concilium loqui de publicè penitentibus? Nos autem querimus de Confessione secreta; quando præcisè obliget ex vi præcepti Ecclesiastici.

Ad secundum argumentum Adversariorum responsio est plana; videlicet, in lege non dicitur: Omnis utriusque sexus &c. ad minus in Paschate confiteatur; sed: Saltem semel in anno confiteatur, quæ sunt valde distinctæ locutiones; & licet prior locutio tempus Paschæ pro termino obligationis poneret, equidem posterior non nisi tempus anni, quem annum incipiendum esse à Paschate, & terminandum in Paschate, ne vel jota unum cogit asserere; ergo ex verbis legis nulla probatio.

Neque à communi computatione, quam verba legis sonant, recedendum propter inconveniens supra allegatum; quia idem sequitur ex computatione Adversariorum, nisi admiserint duplicem obligationem confitendi, unam annuam, alteram Paschalem; prout admittit Suarius, qui nobis illud inconveniens (si tale dici debeat) objicit: ait enim disp. 36. sect. 3. n. 9. Etiam si aliquis intrà annum sæpius sit confessus; si tamen tempore Quadragesimæ ( id est, à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis ) habet conscientiam novi peccati mortalis nunquam confessi, tenetur nihilominus ad confitendum illo anno pro eo tempore.

Sed hoc supra rejecimus, & ideo consequenter hic asserimus, per accidens planè esse, quòd aliquis differat Confessionem suam per duos ferè annos, & ideo parùm curandum, præsertim cum Ecclesia non fraudetur suâ intentione ( quamquam & illa non cadat sub præceptum ) quia ordinariè adest obligatio confitendi in Paschate propter dignam susceptionem Eucharistie.

Nonnè singulis diebus tenetur Sacerdos recitare Officium divinum? Et tamen fieri potest, ut quis per biduum ferè nihil recitet, v. g. si totum Officium hodiernum statim recitet post mediam noctem, & totum crastinum differat recitandum proximè ante mediam noctem. Quis propterea alio modo computat diem, quàm vulgò computatur? Ergo neque annus alio modo computandus venit, quàm vulgò computatur, eò quòd rarissimè fieri possit, ut quis per duos annos abstinere à Confessione; neque multiplicandæ sunt obligationes contra tenorem verborum legis. Fateor, optima legum Interpretes est consuetudo; sed nego omnem consuetudinem esse signum strictæ obligationis; immò assero, E e e quantum

Concilium Agathense.

136. Responsio ad 2. argumentum Adversariorum.

137. Responsio ad 3.

138.

139.

ate perfe...  
accere pra...  
satisfacit...  
s, sed tan...  
nicandis...  
i ignorans...  
131. ita imple...  
e non te...  
similiter...  
ortale, ad...  
tendi, ni...  
ia, ita im...  
tione non...  
sequenti...  
præcepti...  
vero casu...  
utà Con...  
est, Con...  
quam di...  
siste ite...  
uod semel...  
teri pecc...  
fuit...  
ria corum...  
non abis...  
eat annu...  
Mea fan...  
III.  
Eccle...  
ompu...  
nunem...  
na die...  
timam...  
erba legis...  
si aliquid...  
&c.  
oputatio...  
m, quod...  
et in Pa...  
nem exi...  
Saltem...  
ur; legat...  
imâ no...  
ris, quo...  
ne sequi...  
Con...  
si quis...  
sexago...  
ris anni...  
as com...  
a. Sed

quantum fieri potest præsumendum esse, & standum pro libertate.

138. Aliud inconueniens obijcit nobis Suarius sup. n. 7. dicens: Si quis à principio anni usque ad Pascha non peccavit mortaliter, & tunc communicauit, licet postea peccet, non tenetur confiteri in reliqua parte anni usque ad mensum Decembris, sed potest differre usque ad aliam Quadragesimam, ut constat ex communi usu & sententia omnium: si autem annus esset illo modo computandus, esset simpliciter obligandus homo ille ad Confessionem illo tempore.

Responsio. Respon. planè esset obligandus; sed hoc non est majus inconueniens, quàm quòd ille, qui sapè fuit confessus peccata venialia, nihilominus si in Paschate habeat conscientiam peccati mortalis, teneatur tunc confiteri.

Quantum ad usum communem, & sententiam omnium; certum est, rarissimè contingere, ut quis non peccauerit mortaliter à Januario usque ad Pascha, & postea peccet mortaliter, differatque Confessionem usque ad aliam Quadragesimam. Quòd si casu contingat aliquem hujusmodi inueniri, sequitur sententiam Suarii, quæ indubiè probabilis est, & communiter practicatur (absque tamen animo inducendi obligationem) eò quòd in Paschate urgeat præceptum Communionis; & aliunde, etiam in nostra sententia, in Paschate possit satisfieri præcepto annuæ Confessionis.

139. Omitto alios computus, quos Nonnulli excogitarunt; videlicet, à primo peccato mortali post Confessionem. Item ab ultima Confessione. Denique à principio usus rationis. Omitto, inquam, hos computus; quia neque fundantur in verbis legis; neque in recepta consuetudine fidelium, præterquam quòd magnum inconueniens sit, hunc annum non esse certum & fixum pro omnibus fidelibus; aliàs non posset Ecclesiæ constare, quando finiatur tempus, in quo omnes tenentur hoc præceptum implere; sed de singulis oporteret inquiri, quando primùm peccauerint mortaliter, aut quando ultimò fuerint confessi, vel certè quando inceperint uti ratione.

Inconueniens quod sequitur ex primo. Deinde ex primo computu sequitur: si quis postquam in Quadragesima confessus est, non peccavit mortaliter per sex menses, & postea peccavit, non teneri ad Confessionem in sequenti Quadragesima; sed posse illam differre per alios sex menses; consequens, inquit Suarius supra nu. 5. est planè absurdum; & contra communem usum & sensum Ecclesiæ.

Loquitur secundùm suam computationem; quamvis & secundùm nostram idem absurdum sequatur; nam si quis, postquam con-

fessus fuisset in fine Decembris anni sexagesimi secundi (quo hæc scribo) non peccaret mortaliter per undecim menses, & postea peccaret, non teneretur ad Confessionem anno sexagesimo tertio, sed solum circa finem anni sexagesimi quarti; addeque duos sèdè integros annos transegitur sine Confessione, estò in quolibet peccasset mortaliter; cum tamen sit obligatio confitendi, saltem semel in quolibet anno.

Ex secundo computu videtur consequens, neutriquam obligari hoc præcepto, qui peruenit ad usum rationis, & incipit peccare mortaliter antequam confessus sit; quomodo enim in illo poterit computari annus ab ultima Confessione, cum nulla præcesserit?

Denique cum principium usus rationis valde incertum sit, si ab illo computandus est annus, manet præceptum dubium, & incertum. His itaque tribus modis rejectis, tamquam minus fundatis, siue in ratione, siue in verbis legis, aut consuetudine fidelium, placeat Lectori vel computus vulgaris, iuxta nostram Conclusionem, vel computus Ecclesiasticus, secundùm principia Suarii; elige, & non errabis in fide, aut bonis moribus.

Caterum si à me quæritur, quid ergo sciendum illi, qui intrà annum non fuit confessus? An cum termino anni expiraverit obligatio, an verò statim post elapsum annum teneatur confiteri? Responsio erit

## CONCLUSIO IX.

Qui intrà annum non est confessus, statim post confiteatur, & satisfaciet etiam obligationi presentis anni; tamen nullum ejus peccatum mortale exprimat.

PRIMA pars, etiam intellecta de obligatione confitendi, est communior Doctorum, & probabilior, atque procul dubio securior, utpote excludens omne prorsus periculum peccandi; ut clarum est; cum tamen contrariæ sententiæ subsit periculum peccandi, si fortè alia fuerit mens Ecclesiæ, sicut potuit esse.

Enimverò tota hæc controversia pendet à voluntate Ecclesiæ; quæ potuit tempus unius anni constituere terminum executionis, hoc est, ultra quem non differat Confessio; potuit etiam constituere terminum, in quo expiret obligatio confitendi.

Porrò constituisse terminum executionis, potuit colligi-



colligimus ex sine præcepti, qui est, ne diutiùs, quam par est, homines differant impletionem præcepti divini, sæpè cum periculo nunquam illud adimplendi. Unde non tantum est præceptum affirmativum, semel confitendi singulis annis (illius enim obligatio expirat cum anno) sed etiam negativum, scilicet non differendi ulterius; quod utique præceptum transgreditur, qui non statim elapso anno confiteatur, cum jam ulterius differat.

Itaque non designatur tempus anni, ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam executionem, & non differendam diutiùs, quemadmodum quando præcipitur solutio aliquis census, singulis annis facienda, non liberatur, qui isto anno solutionem non præstitit; sed lex fortius illum urget.

Ex quo patet diversitas inter præceptum semel confitendi singulis annis, & præceptum recitandi Horas Canonicas, audiendi Sacrum, jejunandi, &c. in quibus tempus non præscribitur tamquam terminus executionis; sed ut terminus, cui annexum sit illud pondus tamquam tributum illius diei.

Atque hæc ratione disput. 4. sect. 9. conclus. 3. docuimus, eum, qui ob impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non communicavit in Paschate, non teneri proximâ opportunitate communicare, præcisè ex præcepto Communionis Paschalis; quia videlicet hoc præceptum, utpote specialiter latum propter reverentiam illius temporis expirat cum ipso tempore, sicuti præceptum audiendi Missam expirat cum die Dominico, aut festo. Vide ibi dicta, quæ hæc pro magna parte poterunt applicari.

Nihilominus Aliqui (quos videre poteris apud Dianam parte 3. tr. 4. resol. 130.) existimant, hanc expositionem negativam, confitendi semel in anno, nimis rigorosam; idque quia indè videretur sequi, quod singulis vicibus, quibus habent commoditatem confitendi, de novo peccarent mortaliter, quod tamen apparet esse contra communem sensum fidelium, qui tales commoditates non explant in Confessione; neque Confessarius de illis solet interrogare.

Respondeo; Confessarium per se posse sufficienter colligere illas commoditates, quando novit tempus elapsam ab ultima Confessione, & cognoscit statum penitentis; ut omitam, sapientissimè non esse plura peccata, sed unum continuatum, sicut neglectus restitutionis per multos annos.

Utumque sit de stricta obligatione, quam Conclusio non affirmat, neque satis clarè patet ex verbis legis (nam ubi Concilium Lateranense dicit: *Saltem semel in anno confiteatur*, Concilium Trident. sess. 14. can. 8. legit: *semel in anno*, omisso ly *saltem*) procul dubio secutus est, ut in principio Con-

clusionis notavi, & ideo omnibus consulendum, ut elapso anno, quantum citius possunt confiteantur, ne dum absque causa diutiùs differunt Confessionem, absque Confessione, Deo sic permittente, contingat eos ex hac vita decedere. *Fronte capillata, post est occasio calva.*

Quin immo ferè nullus negat, inquit Suarez disput. 36. sect. 4. nu. 4. si quis propter inopiam Confessoris, vel aliam rationabilem causam, non impleat debito tempore hoc præceptum, debere habere animum & propositum illud implendi quàm primùm commode possit, in quo ceratur aperta differentia inter hoc præceptum, & præceptum jejunii, vel Missæ audiendæ.

Et quamquam hic Auctor nobiscum conveniat in prima parte Conclusionis; attamen n. 5. dissentit à nobis in secunda parte, non absolute, sed conditionatè; si post Confessionem jam factam, occurrat nova materia necessaria. Et rectè quidem, consequenter ad ea, quæ superius docuerat, scilicet esse obligationem semel in anno confitendi omnia peccata mortalia totius anni.

Nos autem, quia putamus sufficere Confessionem alicujus peccati mortalis, seu omnium mortalium, concurrentium illo tempore, quo fit Confessio; consequenter dicimus, per illam Confessionem, quæ fit ex obligatione anni præcedentis, satisfieri etiam obligationi anni currentis; quia videlicet solum præcipitur Confessio semel facienda in eo.

Alioquin qui decies abstinisset à Confessione, undecies deberet confiteri uno & eodem anno, decies ex obligatione annorum præteritorum, & semel ex præcepto anni præsentis, quod est contra communem sensum & praxim.

Perinde autem est, si confiteatur peccatum mortale illo anno commissum, sive alio anno commissum; quoniam non est præceptum confitendi hoc anno peccatum tunc commissum, sed simpliciter confitendi peccatum mortale, sive adimplendi præceptum divinum Confessionis. Quid enim si non peccasset mortaliter hoc anno, haberet autem peccata mortalia alterius anni oblita, vel ex justa causa tunc non confessà? Putas quia illa confitendo, non satisfaceret obligationi præsentis anni? Procul dubio satisfaceret, & peccaret contra præceptum hujus anni non confitendo.

Adde, ipsam omissionem culpabilem Confessionis in anno præterito, cum compleatur in termino istius anni, necessariò spectare ad Confessionem anni præsentis.

Dices primò; talis nisi denuò illo anno confiteatur, excommunicabitur. Resp. pro neglectu Communionis Paschalis; vel etiam pro omissione Confessionis, si fortè in aliqua Diocesi sit lex particularis sub pœna excom-

E e e e 2 munica

145.

145.

146.

146.

147.

Sexage... peccata... postea... fessionem... circa... fessionem... cum... emel in... sequens... pervenit... ortaliter... in illo... fessionis... rationis... utandus... & in... is, tam... ne, si... fidelium... s, juxta... rari; eli... nis mo... ergo si... fuit con... piraverit... um an... IX. confes... & ratioli... nul... tale ex... ligatio... rorum... ecurior... riculum... contra... andi, si... potuit... endet à... us unius... is, hoc... io; po... quo ex... tionis; colligi-



munitionis confitendi in Paschate. Dico, *Forè*, quia existimat Vasquez q. 90. a. 3. dub. 1. n. 11. determinare jus divinum Confessionis ad hoc vel illud tempus, ad universalem Ecclesiam, aut summum Pontificem pertinere, non ad particularem, quando universalis modificata est præceptum hoc.

*Hiquæ.* Sed hæc doctrina non placet Hiquæ in suo Comment. 4. dist. 17. n. 96. neque videtur, inquit, quadrare antiquis Conciliis Provincialibus, quæ ex propria auctoritate procedebant ad statuum, quodquid ipsis videbatur populo congruum. Unde non video, quare etiam in præsentem id statuere non possent, cum nullibi id invenitur reservatum à Pontifice, vel ab Ecclesiâ universali. Quin immò ipsa consuetudo, pro lege servata, illam obligationem inducere potest: ergo ubi tale statutum est, esse servandum. Hæc ille.

Dices II. uno & eodem actu non potest satisfieri pluribus obligationibus. Probat; quia alioquin, qui singulis diebus deberet mihi ex iustitia unum florenum, ultimo die anni satisfaceret obligationibus omnium præcedentium dierum, dando unicum florenum, quod est inauditum. Similiter, qui ex voto, non affixo tempore, singulis mensibus deberet semel jejunare, ultimo mense anni semel jejunando, satisfaceret suo voto. Præterea unâ lectione Matutinarum & Laudum, si fiat sub vesperam, possem satisfacere obligationi duorum dierum, saltem sine peccato mortali, quæ sunt contra communem sensum & praxim totius Ecclesiæ.

Propterea Caramuel Theolog. Fundament. parte 2. §. 79. (impressionis Francofurtensis) docet rejiciendam illam sententiam, quæ affirmat, unâ Confessione, aut Communione, posse hominem duorum annorum obligationi satisfacere. Ipsa enim, inquit, in materia gravissima ita interpretatur legem, ut conscientias destruat, multasque animas periculo æternæ damnationis exponat.

Hinc etiam constat, præceptum menstruæ Confessionis, & Communionis, quod imponitur Parochis, & Religiosis, non pati illorum interpretationem, qui dicunt unâ Confessione, aut Communione, duorum mensium obligationi satisfieri: est enim Superiorum intentum, ut Sacramenta frequententur, nam etiam inter sæculares suæ conscientia diceretur negligens, qui mensibus singulis non confiteretur. Hucusque Caramuel.

Qui utique nimis multos facit suæ conscientia negligentes; & advertere debuisset, intentum Superiorum non cadere sub legem, dummodo fiat, quod in lege exprimitur. Ubi autem illud præceptum invenit menstruæ Confessionis, & Communionis, quod imponitur Parochis, & Religiosis nescio; neque enim citat aliquem textum juris communis;

neque alium videtur posse citare, præter Clementinam, *Ne in agro Dominico*, in qua non fit mentio Parochorum, aut aliorum Religiosorum, præter Monachos nigros, ut expendimus Conclus. 6. Credo intelligi jus particulare, quod posset imponi, aut forte alicubi impositum est. Nunc ad principale.

Respondeo; certum est (eodem Caramuele teste ibidem n. 77.) me posse uno & eodem actu duobus præceptis satisfacere; nam, inquit ille, qui die Resurrectionis audit Sacrum, unâ & eadem auditione satisfacit legi audiendi Sacrum die Festo, & legi audiendi illud die Dominicâ. Et similia plura exempla possent afferri. Quare ergo similiter non possum satisfacere unâ Confessione duabus obligationibus confitendi, obligationi anni præteriti, & anni præsentis, obligationi mensis præteriti, & mensis præsentis, quando utraq; obligatio incidit in eundem annum, aut mensem?

Antequam progredior, operæ precium iudico, audire Caramuelem non definitentem, sed proponentem Theol. Fund. 1. p. n. D. Præceptum, inquit, Ecclesiæ, ut singulis annis confiteatur & sanctam Eucharistiam recipias; & determinat tempus, nimirum, à Dominica Palmarum ad Dominicam *Quasi modo*. Ergo his diebus poterit Petrus communicare, ut satisfaciat præcepto anni elapsi; ergo his etiam diebus poterit communicare, ut satisfaciat præcepto anni futuri: ergo si bis communicet, semel pro anno priori, & semel pro postero, duobus præceptis, & pro duobus annis satisfacit. Admittuntur istæ tres consequentiæ committere. Sed quid si semel tantum communicet? An ne unâ ille Communionem pro duobus annis satisfaciat? Probabilissima est affirmativa sententia. Hucusque Caramuel.

Et n. D. sic scribit: Sunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, ut Religiosi singuli, ut minimum semel in mense, confiteantur. Potest Religiosus hos menses à die quocunque computare; ergo incipit à decima Januarii, & sic inquit, decimâ Februarii confitebor; ergo si faciat, satisfaciet pro elapso mense; sed eadem dies, quæ est ultima antecedentis mensis, est subsequenti primâ. Ergo si confiteatur illa die bis (iterum pro prioris mense, & iterum pro posteriori) satisfaciet obligationi duorum mensium. Concedis. Sed quid si semel confiteatur? An non unâ Confessione duorum mensium obligationi satisfaciet?

Qui dicunt, Christianum unâ Confessione, aut Communionem posse pro duobus annis satisfacere, aut debentur inconsequenter loqui, aut tenere Religiosum unâ Confessione posse satisfacere pro duobus mensibus. Ita proponit Caramuel; definit autem p. 2. (ut vidimus) sententiam affirmantem esse rejiciendam.

Sed, quæro ego, ubi scriptum est, ultimum

Vasquez.

Hiquæ.

148.

Secunda obiectio, uno & eodem actu non posse satisfieri pluribus obligationibus.

propter quam Caramuel rejicit nostram Conclusionem.

149.

Sed rejicitur eius doctrina.

diem antecedentis mensis, esse primum sub-  
sequenti? Hactenus apud nullum Theolo-  
gum id legi; neque puto esse verum; cum  
sicut mens distincti sunt, ita omnes dies  
unius, debeant esse distincti ab omnibus diebus  
alterius; quid enim aliud mensis est, quam  
certus numerus dierum? Et idem est de anno  
sive vulgari, sive Ecclesiastico.

Scio, ex privilegio Matutinum, & Laudes  
hujus diei posse recitari ad vesperam diei  
præcedentis, & ideo quæstionem illam move-  
ri, an per unam recitationem possit satisfieri  
duplici obligationi. Sed quod aliquis ex  
privilegio per Confessionem factam ultimo  
die hujus mensis, aut anni, possit satisfacere  
obligationi mensis, aut anni sequentis, quis  
unquam scripsit, aut dixit? Unde tametsi  
ultimo die hujus mensis, aut anni, bis con-  
fiteretur, imò centies, neutiquam satisfaceret  
obligationi mensis, aut anni subsequenti, nisi  
ex speciali privilegio, de quo mihi non constat.

Calus ergo, de quo loquitur sententia  
affirmativa, hic est: Petrus v. g. negligit  
Confessionem hujus anni, poenitet ipsum pec-  
cati commissi; & quia cum tempore obliga-  
tio non expiravit, ut communius docetur,  
sequenti anno instituit Confessionem; quæ-  
ritur, an per illam Confessionem satisfiat obli-  
gationi, quæ remanserat ex anno præcedenti,  
& obligationi præsentis anni.

Et sanè sententiam affirmativam in mate-  
ria gravissima ita interpretari legem, ut con-  
scientias destruat, multasque animas periculo  
æternæ damnationis exponat, non facile ad-  
mifero; præsertim cum plurimorum sententia  
sit, obligationem expirare cum tempore,  
sicut expirat obligatio Horarum Canonica-  
rum, & audiendi Missam diebus Dominicis  
& Festivis; quamvis indubiè Superiores in-  
tendant frequentiam istorum actuum. Itaque  
nullum est periculum æternæ damnationis  
majus in hac sententia, quam in aliis sententiis  
verè probabilibus, quæ in magna veneratione  
sunt apud istum Auctorem.

Neque propterea cogimur asserere ( ut per-  
peram existimat Caramuel supra p. 2. ) unicâ  
lectione Matutinarum & Laudum posse satis-  
fieri obligationi duorum dierum, ut patebit  
ex dicendis. Enimverò unicâ lectione Matu-  
tinarum & Laudum, posse satisfieri obliga-  
tioni duorum dierum, repugnat communi  
usui Ecclesiæ, & inducit morum summam  
relaxationem, cum sic sine ullo scrupulo pec-  
cati mortalis, ferè quotidie posset quis satisfacere  
duplici obligationi, & fraudare Eccle-  
siam precibus sibi debitis, idque per abusum  
privilegii, ab ipsa Ecclesia concessi, cum tam-  
en privilegium deperdat per abusum,  
quo privilegiarius excedit, plus faciendo,  
quam sibi concessum sit, vel utendo pri-  
vilegio contra finem ejus, aut ex privile-

gio occasionem sumendo delinquendi. Privi-  
legium meretur amittere, qui permisâ sibi abu-  
tur potestate, scribit Simplicius Papa Joanni  
Episcopo Ravennati Epist. 2. & refertur  
dist. 74 c. 7. Similiter loquitur Innocentius  
III. cap. Licet 18. extra de Regularibus.

Nonne si tibi Petrus teneretur solvere cen-  
tum aureos feria 2. & alios 100. feria 3. ex  
eo, quod tu permittas, quod debito feriæ 3.  
satisfacere possit feriâ secundâ, sequitur, illum  
solvendo centum aureos semel, posse duorum  
dierum obligationi satisfacere? Patet quod  
non. Ergo eodem modo de Ecclesiastico de-  
bito Horarum philosophare. Tenemur legere  
Officium divinum quotidie: & ut facilis  
possimus, permittit Ecclesia, ut hodie ad  
Vesperam possimus legere Matutinas & Lau-  
des pro die crastina: annè indè sequetur, eam-  
dem Ecclesiam unicâ Matutinarum & Lau-  
dum lectione pro duarum dierum debito esse  
contentam? Minimè. Tenebimur ergo bis le-  
gere, ut duorum dierum obligationi satisfaciamus.

Sed nunquid eodem modo philosophan-  
dum de Ecclesiastico debito annuæ Confessio-  
nis? Nihil est quod cogat. Nam in primis  
praxis est in contrarium, cum alioquin, sicut  
suprà dixi, qui decies omisisset Confessionem  
annuam, unico anno deberet undecies con-  
fiteri, de qua tamen obligatione nullus Con-  
fessarius admonet suam poenitentem.

Deinde cum Confessio solum sit præcepta  
in utilitatem poenitentis, per hoc quod unicâ  
Confessione satisfaciatur duplici obligationi,  
nullum Ecclesia patitur detrimentum, & ideo  
magis voluntaria est; at verò lectio Horarum  
principaliter ordinatur ad bonum commune  
Ecclesiæ, quo proinde defraudaretur, si unicâ  
lectione satisfieret duplici obligationi, &  
ideo meritò involuntaria est.

Denique finis præcepti Confessionis est, ne diu-  
tius Confessio differatur, quam par est; ille autè,  
qui confitetur hoc anno semel & rursus semel  
anno sequenti, non diutius differt Confessionem,  
quam par est; quamvis prius vel culpabiliter,  
vel inculpabiliter diutius distulerit; quæ nimia  
dilatio per hoc, quod anno sequenti sæpius  
quis confiteatur, non aufertur, vel diminui-  
tur; ergo frequentior Confessio hujus anni,  
est extra-intentum Ecclesiæ; & alioquin ponit-  
ur res præcepta, scilicet Confessio saltem se-  
mel in anno. At verò finis lectionis Horarum,  
est solatio debiti, quod habet Ecclesia ad  
Deum colendum, & adorandum vero cultu  
externo, & interno; cui debito intendit Ec-  
clesia satisfacere, deputando præceptorie cer-  
tos ministros, qui ipsius & totius populi nomi-  
ne per Officia à se instituta Deum certis tem-  
poribus colant, quis autem non videt illi cul-  
tui plurimum detrahi, si per unicam recitatio-  
nem divini Officii possit satisfieri duplici obli-

E e e 3 gationi?

154.  
Ostendit  
disparitas  
inter debi-  
tum Hora-  
rum, & de-  
bitum annuæ  
Confessionis.

gationi? Ergo disparitas satis magna, ut non valeat argumentum ab uno casu ad alium.

155. Diversitas inter obligationem iustitiæ, vel ex voto, & obligationem annuam confitendi.

Ex quo etiam patet diversitas inter obligationem iustitiæ singulis diebus solvendi unum florenum, aut obligationem ex voto singulis mensibus semel jejumandi, & præceptum confitendi saltem semel in anno, etenim solutio debiti sive ex iustitiâ, sive ex voto, respicit tertiam personam, quæ patitur detrimentum, idque notabile, si ultimo die anni, solutione unius floreni possit satisfieri obligationibus omnium præcedentium dierum, & unico jejunio ultimi mensis, obligationi omnium præcedentium mensium; quod non habet locum in casu Confessionis.

Alia disparitas ex Herincx.

Aliam disparitatem assignat Herinx disp. 3. de Confessione n. 107. nimirum, quod votum istud cadat super diversas materias; præceptum autem confitendi anni præcedentis, & præsentis, coincidunt in eandem materiam; nam præceptum hujus anni afficit non tam illos, qui hoc anno peccarunt, quàm qui hoc anno sunt infecti peccato mortali, necdum confessio, perinde quando commissio: dum autem duplex præceptum coincidit in eandem materiam, unico actu utriusque satisficit. Hæc ille.

156. Quam exornat Auctor.

Planè utriusque satisficit, v. g. si hodie teneor jejunare ex voto, & unâ ex præcepto Ecclesiæ, nimis clarum est, me unico actu satisficere utrique obligationi; non enim possum sæpius jejunare uno & eodem die. Verùm si teneor ex voto audire Sacrum, & simul ex præcepto Ecclesiæ, cum possim audire uno & eodem die duo Sacra, unde constat, quòd satisficio audiendo unum tantùm? Similiter aliquis obligatur recitare Horas Canonicas ex præcepto Ecclesiæ, accedat votum legendi, cum possit iteratò legere, non probatur, satisficere unâ lectione, nisi ex consuetudine & praxi communi, aut privata voluntate votentis, qui potuit se velle obligare ad eandem recitationem, ad quam alioquin ex præcepto Ecclesiæ tenebatur.

Ergo cum dicit Herincx, præceptum confitendi anni præcedentis, & præsentis coincidunt in eandem materiam; distinguo, in eandem specie materiam, concedo; in eandem numero, unde constat? Cum enim uno & eodem anno possit pluries quis confiteri, possit pluries esse infectus peccato mortali, necdum confessio, nihil repugnat præceptum confitendi anni præcedentis, & præsentis, cadere super diversas numero materias, scilicet diversas Confessiones diversorum peccatorum mortalium; nam fieri potest, ut postquam penitens confessus fuit peccata mortalia præcedentis anni, incedat hoc anno in novum peccatum mortale; cumque jure divino aliquando teneatur illud confiteri, & possit hoc anno confiteri, quæritur, an non teneatur vi præcepti

Confessionis hujus anni: quia etsi prior Confessio facta fuerit in secundo anno, tamen secundum æstimationem moralem, non ad hunc, sed ad præcedentem annum spectat; cum fiat, ut obligationi hujus anni satisfiat. Ita argumentatur Regius disp. 5. n. 65.

Addit: secus fortè esset, si fieret medio anno jam elapso; quia tunc nimia esset distantia, quàm ut posset ad priorem annum retrahatur quoad hoc, ut in eo facta censetur: quia alius qui confiteretur sub finem secundi anni, per eam Confessionem non satisficeret obligationi pro illo anno, quod est nimis durum. Hæc Regius.

Respondeo; quia hoc est nimis durum, ideo consequenter allendum, quod qui confiteretur sub initium secundi anni, satisficeret obligationi pro illo anno. Licet enim utriusque Confessio moraliter spectet ad præcedentem annum, cum utraque fiat, ut obligationi hujus anni satisfiat (veluti solutio census anni præcedentis, sive fiat sub initium anni præteritis, sive sub finem, moraliter spectat ad annum præcedentem, cum per illam satisfiat obligationi hujus anni) equidem physice spectat ad præsentem annum, & nihil obstat quòd motus, Ecclesiâ consentiente, possit spectare etiam moraliter.

Natura hujus præcepti est, inquit Herincx supra, ut etsi cum anno non expiraret, tamen videatur coalescere in unum quoddammodo cum præcepto anni sequentis, adeoque tantum maneat quoad hoc, ut non possit amplius differri, sive quoad istum modum; quoad substantiam autem succedat præceptum anni sequentis, quod ligat ad confitendum omnes, qui habent isto anno peccata, estò isto anno non commissa.

Quidquid sit de ista natura; certum est, quòd Ecclesiâ non possit obligare, aut saltem non intendat obligare ad iteratam Confessionem peccatorum mortalium; neque dubitandum, quin omnia peccata mortalia, commissa pluribus præcedentibus annis, & non confessis, unâ Confessione hujus anni possint & debeant, nisi aliquid obstat, exprimi, & direcè unâ Absolutione remitti; ergò unâ illa Confessione satisfactum est pluribus obligationibus præcedentium annorum. An autem sit satisfactum obligationi præsentis anni, sub iudice lis est; eligo sententiam affirmativam; quia licet Ecclesiâ potuisset exigere secundam Confessionem, equidem exegisse, non satis constat; jam autem, ut ait Scotus 4. dist. 17. n. 28. *Præcepta penalia non sunt amplianda, sed restringenda.* Et Reg. 15. Juris de Reg. Juris in 6. *Odia restringi & favores convenit ampliari.* Porro præceptum Confessionis vulgò reputatur pœnale & onerosum; ideoque non expectat ejus multiplicatio; quamvis plura Confessio summè sit utilis salutis animarum, & ideo potius præceptum

præceptum Confessionis favorabile cenferi deberet.

Ceterum quæ hæcenus diximus de illo, qui culpabiliter omisit Confessionem hujus anni, dicenda eidem videntur de eo, qui vel consilio Confessarii, vel ex justa alioquin causa, Confessionem suam distulit in sequentem annum. Quæ enim ratio disparitatis? Porro dilatio Confessionis ex consilio Confessarii, quamvis expressis verbis non concedatur in cap. Omnis utriusque sexus, prout conceditur dilatio Communionis Paschalis, equidem in hac facultate satis videtur illa contenta, cum dilatio Communionis potissimum desumatur ex defectu circa Confessionem.

Et aliunde cum præceptum Confessionis annuæ, licet determinatio juris divini, equidem verè sit præceptum humanum, haud dubium quin ab illo liberet seu excuset impotentia, non solum physica, sed etiam moralis, id est, gravis difficultas judicio prudentis, attentâ gravitate præcepti, & aliis circumstantiis, juxta regulas communes aliorum præceptorum Ecclesiæ, puta audiendi Missam, jejunandi &c. cum hac tamen differentia, quod hæc obligatio consistendi non expiret cum tempore, ut multi volunt; & ideo cessante impotentia redeat; obligatio autem audiendi Missam, jejunandi &c. expiret cum tempore, & ideo tempore transacto non redeat, etsi redeat potentia.

Sed numquid prævidens se impediendum reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri? Responderetur communiter:

CONCLUSIO X.

Prævidens se impediendum à Confessione reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri.

Ratio est obvia; quia, ut patet ex dictis conclus. 7. in principio, præceptum datum est pro toto anno, & pro qualibet parte anni; ergo in qualibet parte anni potest adimpleri, ergo teneor adimplere in hac parte anni, si in alia non possum. Veluti qui tenetur audire Sacrum die Dominica, si non potest audire horâ undecimâ, tenetur prævenire; quoniam totum tempus antemeridianum datum est pro adimplerione illius præcepti: suppono autem quod toto illo tempore maneat subjectus legi; alioquin si ante meridiem futurus est in loco, ubi præceptum audiendi Missam non obligat. Multi putant non debere prævenire, de qua controversia alibi disputavimus, & ideo hic supersedeo; maximè cum præceptum Confessionis non sit locale, sed personale, quod inhæret personæ ubicumque fuerit.

Si dixeris; qui prævidet se impediendum in die Dominica ab auditione Sacri, non tenetur audire sacrum die Sabbathi, & qui prævidet se impediendum à jejuniis die Sabbathi, non tenetur jejunare die Veneris. Disparitas est manifesta; quia obligatio audiendi Missam, aut jejunandi, non incipit usque ad diem præfixum, adeo ut tamen prævenire, minimè satisfacerem meæ obligationi; at verò obligatio consistendi incipit à primo die anni, & durat usque ad diem ultimum; non quòd urgeat pro primo die, si alio die possum & velim confiteri; sed quòd possum primo die satisfacere si velim, ac proinde debeo, si video, quòd aliis diebus non potero.

Simile cernitur in præcepto annuæ Communionis si detur, & præcepto Communionis Paschalis; nam; ut docuimus disp. 4. sect. 9. concl. 2. prævidens impedimentum, debet prævenire Communionem annuam, secus Paschalem; cum enim posterior obligatio non incipiat nisi tempore Paschæ, non possum satisfacere alio tempore, ac proinde non teneor prævenire; at verò prior obligatio incipit à principio anni; & durat usque in finem; & ideo teneor prævenire, cum omni horâ possum illi satisfacere. Vide dicta loco citato, ubi etiam examinatur aliud simile; scilicet obligatio perfolvendi Horas Canonicas, sub mortali quidem hac vel illa die, sub veniali autem, ut Multi volunt, distinctis horis diei.

Hoc solum hic noto, præceptum recitandi Officium divinum hæc vel illâ horâ diei, non esse omnino absolutum, sed quasi conditionatum, nisi scilicet occurrat rationabilis causa aliter faciendi. Unde sicut qui prævenit horam statutam diei, satisfacit omnimodò suæ obligationi, ita etiam qui postponit, & ideo tenetur prævenire, & postponere. At verò præceptum recitandi Officium divinum hoc die, omnino absolutum est, & ideo quicumque existente causa, nec tenetur prævenire, nec postponere.

Quid dicam de præcepto Confessionis annuæ? Non teneor prævenire tempus anni, quia præveniendo non possum satisfacere; teneor autem Confessionem postponere, quia possum satisfacere præcepto negativo (si datur) ulterius non differendi Confessionem. Teneor etiam hoc die confiteri, si prævideam reliquis diebus impedimentum, quia hoc die possum satisfacere.

Perinde autem est sive impedimentum prævisum sit voluntarium, sive non; nam eadem ratio utrobique militat. Hinc si prævideo absentiam Prælati pro reliquo tempore, teneor hoc die confiteri, si habeo peccata reservata, à quibus ipse solus potest absolvere. Etenim teneor confiteri omnia peccata commissi hoc anno usque ad horam istam, quâ instituitur Confessio; ergo teneor peccata reservata

161. Objectio.

Solvitur.

162. Disparitas inter præceptum recitandi Horas hie hodie, & hoc die.

163. Perinde est sive impedimentum prævisum sit voluntarium, sive non.

servata

servata commissa ante illam horam confiteri quantum commodè possum; sed nunc commode possum confiteri; ergo teneor.

164. Excusatus à Communionem, non hoc ipso est liber à Confessione.

Atque hic fit finis hujus Conclusionis & Sectionis, eo semper salvo, quòd excusatus à Communionem, non hoc ipso fit liber à Confessione; quia nimirum præceptum Confessionis distinguitur à præcepto Communionis, ut patet ex verbis legis suprà allegatis: *Omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Ecce præceptum Confessionis. Sequitur præceptum Communionis: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum.*

Conc. Trident.

Et hinc Concilium Trident. sess. 13. can. 9. solius meminit præcepti Communionis dicens: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta præceptum S. Matris Ecclesie; anathema sit.*

Porro sess. 14. can. 8. tantum meminit præcepti Confessionis dicens: *Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem. . . . aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fide-*

les, iuxta magis Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno . . . anathema sit.

Enimverò hic est sensus communis fidelium, qui putant se obligatos ad Confessionem; est propter impedimentum aliquod nequeant communicare. Finis quoque præcepti id non obscure indicat, finis, inquam, putà, ne diutius differatur Confessio, & ut impleatur præceptum divinum Confessionis, quod absque dubio distinguitur à præcepto divini Communionis. Unde communitate sententia est, ut suprà vidimus, pueros citius obligari ad Confessionem, quàm ad Communionem.

Sed dicit aliquis; video obligationem huius præcepti, video distinctionem; nihilominus adhuc ignoro, quid significent hæc duo verba Concilii Lateran. *Solus, & Fideliter.* Respondeo; *ly Solus* significat Confessionem secretam; *ly Fideliter*, idem est, quòd absque mendacio; vel etiam integrè, hoc est, omnia peccata, tamen occultissima, & merè interna, quoad speciem & numerum. Quæ duo ut melius intelligantur, & observentur, instituitur

## SECTIO SEPTIMA.

### De Qualitate Confessionis Sacramentalis.

1. Sexdecim qualitates Confessionis sacramentalis.

Nonnulli enumerant sexdecim conditiones seu qualitates Confessionis Sacramentalis, his versibus contentas:

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis, Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata, Fortis, & accensans, & si parère parata.*

Ex quibus conditionibus seu qualitatibus, quædam sunt de necessitate Sacramenti; aliæ spectant, vel ad majorem reverentiam, vel ad majorem fructum ex Confessione percipiendum. Non est autem propositi nostri, omnes sigillatim hæc Sectione explicare; sed illis relictis, de quibus nihil aut parùm notandum occurrit, quod vel in superioribus non est dictum, vel infrà propriis locis non dicitur; quæro primò, an Confessio secreta sit de necessitate Sacramenti, aut saltem præcepti divini, vel Ecclesiastici? Responso erit

### CONCLUSIO I.

Confessio sit secreta, licet publica, aut per interpretem sufficiat ad valorem Sacramenti, & aliquando sit licita.

Secreta Confessio hæc vocatur, quæ fit sine ullo teste à penitente coram solo Sacerdote: unde & auricularis dicta; de qua scriptum habemus in Concilio Trid. sess. 14. c. 5. *Ceterum quo ad modum confitendi secreti, apud solum Sacerdotem, est Christus non veniens, qui aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humilitationem, cum ob aliorum exemplum, tunc ob Ecclesie offensæ adificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divini præcepti mandatum, nec satis consultè humanà aliqua lege præcipitur, ut delicta, præsertim secreta, publicè essent Confessione aperienda.* Unde cum à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimi consensu, secreta Confessio Sacramentalis, quæ ab initio Ecclesie sancta usa fuit, & modo etiam servata fuerit semper commendata; manifestè respicitur